HENRICI MEIBOMII
AD
SAXONIÆ INFERIORIS IMPRIMIS HISTORIAM INTRODVCTIO

In qua ab ultima notitia ad noſtra usq; tempora breviter ejus hiſtoria delineatur, & de plerisq; Rerum Saxonicarum ſcriptoribus editis & ineditis judicatur.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

HELMESTADII,
Typis & Sumptibus GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr. Anno 1687.

ILLVSTRISSIMO
COMITI AC DOMINO
DN. HENRICO
XIII. Sen. Lin. Reuſz/
Comiti ac Domino de Plawen/ Domino in Graitz/ Cranichfeldt/ Gera/ Schlaitz/ Lobenſtein &c.

Domino Suo Gratioſo

ex Academia Julia diſcedenti

Libellum hunc

humillimæ devotionis teſtandæ cauſa

Sacrum eſſe voluit

HENRICUS MEIBOMIUS.

Nnus jam quartus integrè finitus eſt, ex quo Sereniſſimus Princeps ac Dominus, Dn. RVDOLPHVS AVGVSTVS, Dominus meus Clementiſſimus, Te, ILLVSTRIS-

SIME COMES AC DOMINE, *primam ætatem, anno undecimo vix inchoato, in hac Academia Julia tranſigere, & in mea quidem domo educari, in ſpem celſi generis & gloriam majorum, clementiſsime voluit. Exultavit tota Academia tanto Hoſpite, eò magis, poſtquàm in tenera ætate uberes magnæ indolis igniculos exilire ſenſit, qui maximam aliquando lucem, certiſsimo omine, præſagirent. Nihil in moribus, & omni vitæ actu puerile, nihil exorbitans, nihil inconſtans, nec juvenile quidem; ſed, contra annorum genium omnia virilia, & conſtantia, & prudentiæ ſenilis quaſi quædam maturitas. Fallor? an in magna, & recti exempli Aula Guelphica, inter pietatis & decentis moris quotidiana exempla, ab infantia educatus, non potuiſti Te alium exhibere Academiæ. Mirati ſunt ardorem diſcendi inſolitum Cives noſtri, indefeſſum laborem, tractas in ſocietatem diei & impenſas ſtudiis noctes: excitati ſunt genere & ingenio præſtantes quique magno exemplo, & ſequi voluerunt, quamvis* non paſſibus æquis, *medio fatigati in curſu. Eſt enim aliquid in magnæ indolis exemplis, quod imitari non licet; laudare, ſuſpicere, mirari, & venerari par eſt. Nihil dicam*

de

de nobilibus corporis exercitiis: nihil de Graphica arte, quibus ſubciſivas horas occupari voluiſti. Nihil de Gallico ſermone, quem tanta facilitate dexteritateq; didiciſſe obſervavimus, ut ignoraſſe aliquando non meminiſſemus. Ad Hiſtoriam, excelſo faſtigio dignum imprimis ſtudium, tanto magis propero, quanto illa familiarior eſt mihi. Quod ſi medii recentisq; ævi Hiſtorias omnes cum cura Tibi lectas, Terrarum & Locorum Deſcriptiones accuratè expenſas, ſucceſsiones in Principatibus, Genealogias Illuſtrium omnes obſervatas dixero, nihil præter verum dixero: Quod ſi vero hæc omnia diviniſsima memoria ita retenta, ut promptisſimè, quavis occaſione, cum accuratiſsima annorum, hominum, & locorum mentione reddi potuerint, addidero, id eſt, quod nos toties mirati ſumus, quodq; apud alios, à nobis narratum, vix fidem inveniet. Et, quî poterat aliter fieri, cum excellenti ingenio, & feliciſsimæ memoriæ conſtantiſsima accederet induſtria & indefeſſus labor? Quoties ego vel veterem Hiſtoriam Cæſarum Romanorum ex Nummis, certiore & nobiliore modo, explicarem, vel Hungariæ, in qua ſola quaſi hodie belli theatrum eſt, priſcam, mediam, & recentem faciem,

 ciem,

ciem, aut Germanici tricennalis belli varios eventus exponerem, nullum minus fatigatum aut certiorem auditorem habui: addo etiam, magis proficientem. Domi enim dein omnia annotata, hiſtorici ipſi inſpecti, libri eorum cum cura relecti, & quod præfiſcini dixerim, propria obſervatione aucti & correcti. Uti igitur tanto Auditore, & per integrum quadriennium celſo Hoſpite, plurimum gaviſus ſum, ita, dum vixero, jucundiſsima mihi erit illius temporis memoria, inter perpetuam magnarum virtutum & rariſsimæ doctrinæ recordationem. Cujus quidem animi mei publicum teſtem hunc libellum Hiſtoricum eſſe volui, cui hoc ipſo tempore ultimam manum impoſui. Reliquiſti, ILLUSTRISSIME DOMINE, in tota hac Academia tot Tuæ Virtutis monumenta, ut illius, licet aliorſum tranſlatæ, oblivisci poſsit nunquam: meo vero animo tanto magis manebunt impreſſa omnia, quanto fortius inhærent domeſtica & quotidiana. Votum igitur addo etiam, ILLUSTRISSIME DOMINE. Servet Te DEUS, ut ubivis terrarum porro floreas, nec tenerum hactenus corpus, magni ſpiritus elegans domicilium, ullam labem

ſentiat,

ſentiat, & ita omnibus Tuo faſtigio dignis virtutibus augearis, ut non tantum Illuſtrisſima REUSSIA Domus, majoribus etiam titulis Annalibus cognita, Te ſuæ Gentis decore diutiſſimè lætetur, ſed & Serenisſimus Dux RUDOLPHUS AUGUSTUS ſua Paterna cura fructum uberrimum capiat, nosq́ omnes clientes vota noſtra impleta eſſe gaudeamus! Dabam Helmaſtadi in Academia Julia. X. M. Decembris A. CIↃ IↃC LXXXVI.

HENRICVS MEIBOMIVS

Lectori S.

DEcreveram menſibus proximis hybernis SAXONIÆ & SAXONUM Hiſtoriam Auditoribus meis plenius tradere, interdum quidem, & inter initia imprimis, ad omnem Saxoniam me diffuſurus, majori tamen deinde diligentia uſurus in iis, quæ ad Saxoniam hanc Inferiorem, Sereniſſimorumque Ducum noſtrorum Provincias pertinent; quanto magis Patriæ hiſtoriæ nihil ignorari, publicè intereſt. Ideoque hanc Introductionem, προπαιδείας gratia, in eorum commodum publicis typis exſcribi feci. In qua, non quidem in illis, quæ curioſitatis plus, utilitatis minus habent, multum occupari volui, unde ſcilicet Saxonum nomen, quæ priſcæ eorum ſedes, & an aliunde in Germaniam venerint? Cum tamen aliis terminis vetus Saxonia fuerit comprehenſa, deinde vero colonias ſuas in vicinas terras, ut Henetorum, traduxerint, quædam vero deinde provinciæ revera Saxonicæ, ut Weſtphalia, vetus nomen amiſerint, & denique, quamvis longiſſimè Saxonum linguâ ad plures gentes deductâ, per novam tamen Decem in Germania Circulorum A. 1512. in

Comitiis

Comitiis Colonienſibus inſtitutionem, Saxonicus Superior & Inferior Circuli ſint determinati, novosque limites Saxonia acceperit, res utique illa non prætereunda mihi, ſed à prima origine explicanda fuit. Deinde Saxonicæ Hiſtoriæ generalem quandam delineationem juxta temporum ſeriem feci, non Pragmaticæ tantum, quâ Civilis, quâ Sacræ, ſed etiam Topographicæ, & Genealogicæ: ubique vero eos Scriptores, qui vel extant, vel adhuc MSti latent, indicavi, ex quibus plenior peti notitia à curioſis poſſet, ſimulque de iis, ubi opus, judicium meum interpoſui, ne vel plus, vel minus, quam par erat, fidei invenirent. Equidem, quamcunque quis ſive ſcientiam, ſive artem addiſcere velit, non parum juvat, ſi prius noſcat illos Auctores, qui eam quam optimè excoluerint, publicisque ſcriptis tradiderint. At in Hiſtoriarum notitia acquirenda hujus de Scriptoribus cognitionis non utilitas aliqua eſt, ſed ſumma neceſſitas, cum à narrantibus ipſius hiſtoriæ narratæ veritas dependeat, ideoq; ſcire in anteceſſum oporteat, an is, qui ſcripſit, potuerit & voluerit res illas verè & plenè & debitis cum circumſtantiis narrare. Potuerit? id eſt, an *σύγχρονος* fuerit, aut etiam in quibusdam *αὐτόπτης*, & omnia accuratè obſervandi dexteritate, & apud alios, quæ acta, inquirendi, induſtria valuerit, & ad rei peritos, & ad archiva, verasque conſignationes aditum habuerit,

buerit, & prudentia quoque diſcernendi incerta à certis, rerumq; civilium notitia non deſtitutus fuerit. Voluerit quoque? ſcilicet, ut procul amore, procul odio, nihil falſi dicere auſus, nihil veri non auſus fuerit. Et quæ ſunt ejuſmodi alia. De Saxoniæ igitur Hiſtoricis in genere etiam iſta præmittere volui, in ſpecie dein oſtenſurus, ubi vel non potuerint ſufficienter & plenè omnia narrare (qui defectus nimis frequens eſt, quamdiu in clauſtris Annales condiderunt) vel non voluerint, & multa præter veri fidem odio partium tradiderint, quod quam maximè obſervare licet in iis, qui, durante inter Regnum & Sacerdotium diſcordia, ſcripſerunt. Indicem aliquem rerum tam parvo libello, qui facile totus evolvi poteſt, & in quo pleraque juxta annorum ſeriem enarrantur, adjungere, non credidi eſſe operæ pretium: Auctorum tamen, qui in tam parvo libello pluſculi, & non nudè citantur, ſed vel de iis judicatur, vel examinantur, illuſtranturque, vel corriguntur, Syllabum aliquem ut adderem, ex uſu publico eſſe judicavi. Vale, Lector benevole, & Rerum Germanicarum, Saxonicarumque Tomos Tres proximè à me exſpecta.

SYLLA-

SYLLABVS AVCTORVM

Qui in hoc libello citantur, illuſtrantur, vel refutantur.

A.

Acta eruditorum Lipſienſia. 68.
Adamus Bremenſis. 8.16.30. 33.50.51.52. 61.70.71. 72.73.77.90.
Agathias. 20.
Agricola. 105.
Aimoinus. 8 11.14.
Albertus Stadenſis. 63.71.72.99.100.
Albinus. 55.104.106.111.
Alvenslebius. 57.
Ammianus Marcellinus. 5.6.7.
Andreas presbyter. 36.
Arnoldus Lubecenſis. 37.38.40 41.42 82.84.87.98.
Auctor anonymus Annalium de geſtis Caroli M. 12.13.22.24.60.
Francicorum Nuenarii. 12.15.51. 52.53.54.63.77.90.91.
Fuldenſium. 17.18.
Apologiæ Hamburgenſis. 62.
Chronici Belgici Magni. 102.
Rythmici. 5.

Mindenſis. 101. 103.
Montis-Sereni. 100.
Piſtoriani. 103.
Saxonici. 194.
Hiſtoriæ Archiepiſcoporum Bremenſium. 67.
de Landgraviis Thuringiæ. 9.
Pacis Weſtphalicæ. 110.
Præfationis in librũ Saxonicum antiquum. 67.
de Saxonico bello. 98.
Scholiorum in Adamum Bremenſem. 51. 54. 70.
Vitæ Caroli M. Pythæi. 12.
Henrici. IV. 95. 96.
Ludovici Pii. 23.
Meinwerci. 60. 69.

B.

Baluzius. 26.
Bangertus. 64. 83.
Baronius. 96. 97.
Barthius. 108.
Benedictus Levita. 28.
Berswordius. MS. 111.
Beſſelius. 90.
Beſſelmejerus. 107.
Bœclerus. 93. 99.
Bollandus. 68. 69.
Brachelius. 110.
Brotruffius. 9. 111.
Browerus. 69.
Bruno. 95.
Budæus. 109.

C.

Caraffa. 110.
Calixtus. 75.

Cande-

Camdenus. 6.
Capitularia Caroli M. 12. 23. 24. 27. 78.
Francorum. 7. 28.
Caſaubonus. 51. 90.
Centuriatores Magdeburgenſes. 73.
Chemnitius. 110.
Chytræus. 54. 61. 73. 106. 107. 111.
Claudianus. 6. 18.
Cleinſorgii Chronicon Eccleſiaſticum MS. 73.
Cluverus. 4. 7. 50. 52. 54.
Cointius. 20.
Conradus à Lichtenavv Abbas Urſpergenſis. 9. 99.
Conringius. 9. 13. 22. 23. 27. 31. 77. 80. 81. 83. 87.
Cornerus. 101. 105.
Crantzius. 17. 20. 29. 39. 61. 62. 72. 73. 104. 105.
Cromerus. 29.
Cruſius. 87.
Cuſpinianus. 97. 99.
Cypræus. 38. 84.

D.

Dalechampius. 53.
Danckwert. 54. 55. 85.
Dietericus. 94.
Dio. 52.
Diplomata. Bremenſe. 59.
Caroli M. Oſnabrugenſe. 20. 21. 24.
Trutmanno Comiti datum. 25. 26.
Verdenſe. 22. 53. 54.
Friderici. I. 14. 36. 82. 87.
II. 37. 81. 82. 83.
III. 39.
Henrici IV. 76.
Leonis. 59.
Ludolphi Ducis Saxoniæ. 29.

Ludovici Pii. 17. 30. 52.
Ottonis M. 31.
Ottonis III. 21.
IV. 36.
Paſcalis II. Papæ. 65.
Dithmarus. 10. 17. 32. 93.
Douſa. 18. 105.
Dreſſerus. 104.

E.

Engelbuſius. 102.
Eginbardus. 7. 9. 10. 15. 16. 22. 28. 64. 77. 89. 90. 91.
Eutropius. 4. 108.

F.

Fabricius. 54. 106.
Ferdinandus Epiſcopus Paderbornenſis & Monaſterienſis. 20. 23. 52. 54. 56. 61. 64. 78. 92.
Feſtus. 60.
Flacius. Illyricus. 73. 99. 100.
Flodoardus. 16. 71.
Frechtus. 97.
Freherus. 58. 59. 64. 90. 91. 100.
Freſneus. 60.

G.

Gerhardus Stederburgenſis. 98.
Gobelinus. 72. 102.
Goblerus. 106.
Godefridus S. Pantaleonis monachus. 43.
Goldaſtus. 95. 98.
Gregorii Decretales. 77.
Gregorius Turonenſis. 7.
Grotius. 4.
Gryphiander. 23. 83. 87.
Gualdo. 70.
Guntheri Ligarinus. 14. 16. 31.

Hamel-

H.

Hamelmannus. 74. 111.
Hartknoch. 40.
Henſchenius. 68. 69.
Helmoldus. 17. 33. 34. 35. 39. 51. 54. 65. 70. 71. 80. 88. 98.
Hermannus Comes Nuenarius. 89. 90. 91.
Hermannus Saxonum ſcriptor. 105.
Heroldus. 79.
Hieronymus. 5.
Hofmannus. 21. 112.
Hoppenrodius. 111.
Hortlederus. 106. 107.

I.

Inſtitutiones Juris Civilis. 19.
Inſtrumentum Pacis. 49. 110.
Johannes Aventinus. 35. 97.
Irenicus. 105.
Julianus Imp. 5.
Juſtini Lippi florium. 102.

K.

Knipſchildius. 61.

L.

Lambecius. 27. 30. 42. 52. 62. 63. 64. 70. 80. 87.
Lambertus. Schafnaburgenſis. 63. 95.
Langbornius. 6.
Lange. V. Longus.
Langius (Paulus) 45. 52. 104.
Latinus Pacatus. 6. 19.
Lazius. 91.
Leerbeke. 42. 101. 103.
Letznerus. 109.
Leges Saxonum. 12. 74. 88.
Wiſigothorum. 27.

Limnæus. 61.
Lindenbrogius (*Erpoldus*) 17. 30. 59.
Lindenbrogius (*Fridericus*) 12. 28. 77.
Loccenius 110.
Longus Poetaſter. 10. 12. 15. 102.
Loticbius. 110.

M.

Mabillonius. 20.
Maderus. 71. 92. 101. 102.
Magliabecbus. 91.
Marſcalcus Tburius. 105.
Mævius. 26.
Meibomius (*Henricus*) 10. 26. 29. 38. 76. 58. 63. 66. 86. 92. 93. 98. 108.
Meibomius (*Job. Henricus*) 10. 102.
Mejerus. 55.
Meletius. 65.
Melancbton. 93.
Mellen. 64.
Merianus. 50. 55.
Mithoſius. 42.
Mollerus MS. 26.
Munſterus. 99.

N.

Notitia Imperii. 7.

O.

Olearius. 61.
Oroſius. 5.
Otbertus. 95.
Ortwinus Gratius. 97.
Oudinus. 100.
Overbam. 69.

P.

Papæbrochius. 20. 68. 69.
Paullus Diaconus. 11.

Peccen-

Peccenſteinius. 111.
Peucerus. 99.
Pii V. Pont. Epiſtolæ. 75.
Pircheimerus. 54.
Pontanus. 42. 85.
Procopius. 8. 9.
Ptolemæus. 3. 54.
Puffendorfius. 110.

R.

Rhætius. 80.
Regino. 16. 22.
Reidanus. 107.
Reineccius. 12. 13. 23. 86. 92. 93. 97. 100. 108.
Rembertus. 70.
Rosla. 102.
Rosweidus. 69.
Roswitha. 93.

S.

Sagittarius. 9. 109.
Salvianus. 15.
Saxo Grammaticus. 3. 39. 98.
Scaliger. 81. 82.
Schardius. 107.
Schefferus. 51. 52.
Schurtzfleiſch. 109.
Schubartus. 98.
Seringhamus. 3.
Sibrandus. 84. 86.
Sidonius. 6. 15. 77.
Sigonius. 12.
Sirmondus. 7.
Sleidanus. 106.
Solinus. 64.
Spalatinus. 105.

Spangen-

Spangenbergius. 83.111.
Spenerus. 111.
Stangefolius 27.
Stephanus Stephanius. 3.
Strabo. 32.
Symmachus. 6. 19.
Synodus Liſſtinenſis. 64.

T.

Tacitus. 3. 51.
Thraciger MS. 54.61.62.83.
Thuanus. 107.
Topographia Ducatus Brunſv. & Lynæb. 55.56.65.
Holſatiæ. 54.55.56.
Magdeburgenſis MSta. 57.
Saxoniæ Inferioris. 55.
Superioris. 55.
Weſtfaliæ. 55.
Trithemius. 101.
Turſellinus. 99.

V.

Valleſius 15. 56.60.
Vellejus. 52.
Velſerus. 52.
Vopiſcus. 19. 51.
Voorburgius. 94. 108.
Voſſius. 90.101.

W.

Warnefridus. V. Paullus Diaconus.
Werdenhagen. 61.
Werymbertus. 91.
Witichindus. 8.10.11.13.30.32.39.92.

Z.

Zeillerus. 50. 55. 56.
Zoſimus. 4.

QUi optimè nobis ea, quæ de Majoribus noſtris ſcimus, in ſuo de Germania libro tradidit *Cornelius Tacitus*, ſub Trajano Imperatore, cum jam ad Albim & Viſurgim usq; Romani perveniſſent, nullo verbo SAXONUM meminit; unde doctiſſimis viris variæ natæ conjecturæ, quibusdam in Taciti libro quædam à librariis omiſſa ſuſpicantibus, aliis ſub Cattorum aut Foſorum aut Svardonum aut Cimbrorum nomine Saxones latere judicantibus. Ego, relicta cuiq; judicii ſui libertate, Saxones tum minus adhuc celebres, anguſtisque ſuis finibus contentos, Romanis Tacitoq; incognitos fuiſſe arbitror: nec ad eos bellorum illorum famam perveniſſe, quæ cum Danis ante Chriſtum natum *Saxo Grammaticus* memorat, ubi & *Saxoniæ regnum ad Danos translatum* ſcribit, l. 4. c. 18. doctiſſimusq; *Stephanius* in notis regnum fuiſſe, & veriſſime à *Saxone Grāmatico* ita vocari, & ab Odino rege filio ſuo Baldo datum, ex *Edda* probare ſatagit: quamvis longè tutius ſit referre illa ad fabulas & incertiſſimas relationes eorum temporum, quibus, ut ipſe *Saxo* fatetur, *illuſtrium virorum ſplendorem ſcriptorum penuria laudi memoriæq; ſubtraxit*: licet plurimum fidei Annalibus iſtis Septentrionalium hac in re tribuat *Seringhamus*. l. de orig. gent. Anglor. c. 2. & 3.

Primus omnium *Claudius Ptolemæus*, qui ſub Imperatore Antonino Pio vixit, lib. II. cap. XI. eorum meminit,

minit, vocatq; Σάξονες per ξ, quomodo & Græci & Romani deinde omnes eos ſcribunt, & hodieq; Germaniæ Superioris incolæ vocant, cum patria pronunciatione *de Saſſen*, SASSONES dicendi fuiſſent. Collocat autem eos ἐπὶ τὸν αὐχένα τῆς κιμβρικῆς χερσονήσου, ut facile intelligas, tenuiſſe illos tum eam, quam hodie Holſati occupant, Cimbricæ peninſulæ cervicem, & in littoribus Oceani ad oſtia fluviorum Travæ, (Chaluſi *Ptolemæo*) & Albis ſediſſe, locorum ipſorum ſitu & ingenio eos invitantibus, ut nauticis exercitiis maritimisq; operibus vitam ſuam conſecrarent, quorum deinde gloria, ut mox dicam, inclaruerunt. Seculo enim tertio ſub Diocletiano Imp. *Carauſius mare accepiſſe tranquillandum*, quod *Franci & Saxones* infeſtabant, memoratur ab *Eutropio* l. IX. in cujus rei memoriam argenteum nummum Imp. Carauſii, qui penes me eſt, cuſum arbitror, in cujus averſa Triremis prætoria, felicitatem ejus maritimamq; victoriam indicat, niſi quis referre velit ad alteram, quam, claſſe Maximiniani Herculei victa, reportavit. Seculo deinde quarto non infrequens occurrit Saxonum mentio, videnturq; tum Holſatia egreſſi Viſurgis oſtia ad Rheni usq; in mare influxum & Chaucorum littora occupaſſe. Nam ſub Juliano Imp. Batavorum inſulam, pulſis Francis Saliis, ſuam eos feciſſe, *Zoſimus* narrat: in cujus verbis l. 3. p. 707. ubi Quados Saxoniæ partem facit, *Cluverus* pro Κυάδυς legit Καυχυς, Chaucosq; interpretatur, & inde colligit, Chaucos tum à Saxonibus jam ſubactos fuiſſe, idcircoq; partem ipſius vocari; nimiâ tamen, & *Grotio* jam olim in Epiſt. ad Pontanum notata in *Cluvero* voces contra MStorum fidem mutandi licentiâ, cum ſæpius repetatur apud *Zoſimum* Quadorum vox, conſtanti ubiq; lectione, nec toties deſcribentis errorem interveniſſe credibile ſit, potiusq; hic ipſe *Zoſimus* hallucinetur. Sequitur quidem Cluverum Vir longe doctiſſimus,

ctiſſimus, qui de antiquiſſimo horum locorum ſtatu commentatus eſt p. 54. ſed intelligi debere Chamavos ſatis apparet ex iis, quæ *Julianus* Imp. ipſe in Epiſt. ad S. P. Q. Athenienſem de ſuis contra Salios Chamavosq; felicibus victoriis narrat, quæque in hanc rem ſcribit *Ammianus Marcellinus Hiſtor.* l. XVII. p. 170. Quicquid autem hac de re ſit, jam tum eo tempore *Hieronymus in vita S. Hilarionis*, noto ſatis loco, *Francis vicinos* facit, & Ammianus Marcellinus l. XXVII. *Francos & Saxones* confines nominat, unde facile, quouſq; progreſſi fuerint, colligere eſt. Hinc fortaſſis illud eſt, quod Auctor Chronici Rythmici ante trecentos amplius annos lingua Belgica ſcripti, antiquorum librorum fide aſſerit, totam regionem infra Neomagum olim Saxoniam Inferiorem dictam, Scaldimq; ejus terminum occidentalem fuiſſe. Merentur ipſa ejus verba audiri.

Oude bocken hoor icke gewagen
Dat al t' land beneden Nyemagen
Wilen neder Saßen hiet
Al ſoo als die Stroom verſchiet
Van der Mase ende van den Rhyn
Die Schelt was dat weſt ende ſyn.

Et tum quidem maritimam gloriam ſibi acquirere, invaſionibusque ſuis & piratica, etiam in longinquiora loca, inſtitutis formidabiles eſſe cæperunt. Ubi enim de Valentiniano Imp. agit *Paullus Oroſius* Hiſtoriar. adverſus Pagan. l. 7. c. 32. Saxones vocat *gentem in Oceani littoribus & paludibus inviis ſitam, virtute atq; agilitate terribilem*, & notanter, *periculoſam Romanis finibus*; quibus ſe oppoſuiſſe Valentinianum, *& eruptionem magna mole meditantem in ipſis Francorum finibus oppreſſiſſe*, iterum Oroſius ſcribit. Irruptionis

ruptionis illorum in Galliæ littora ſub Valentiniano, Valente & Gratiano meminit *Ammianus Marcellinus* l. 27. c. 8. & l. 28. c. 5. Sub Theodoſio Seniore Romanos contra Saxones maritimis præliis pugnaſſe & victoriis inclaruiſſe, diſcimus ex *Latini Pacati Panegyrico*, Theodoſio dicto, ubi, dum attritam pedeſtribus præliis Bataviam refert, *Saxonem bellis navalibus conſumptum* memorat. Et tum Saxones captivos Romam ductos & ſpectaculis publicis deſtinatos ex *Symmacho* diſcimus Epiſt. 46. l. 2. Sub Honorio Stiliconis effectum curis, ne *Britannia littore toto*

Proſpiceret dubiis venturum Saxona ventis,

ſcribit *Claudianus*, ſed fortaſſis poëtice nimis, cum ne per ipſum quidem Stiliconem, ſed Victorinum Toloſanum, ab eo miſſum, Saxones repreſſi ſint, ita tamen, ut formidabiles adhuc Romanis manſerint. Anno enim Chriſti poſt quadringenteſimum quadrageſimo nono, qui fuit Vortigerni Regis Britannici quartus, Saxones in Britanniam vocati, Virtutis ſuæ militaris & maritimæ ſpecimen ediderunt, dum poſt varia bella nova ibi regna condiderunt, Orientales in Eſſexia, Middelſexia & auſtrali Hertfordiæ parte, Auſtrales in Suſſexia & Surrejæ parte, Occidentales in Suthantonia, Bercheria, Viltonia, Sommerſetia, Devonia &c. de quibus nunc pluribus agere animus non eſt, legi autem poſſunt *Camþdenus* in Britannia, & *Langhornius* in Antiquitatibus Albionenſibus ſub finem, & in Chronico Regum Anglor. p. 5. Quod vero ex eo tempore non deſierint Saxones Romanis in Gallicis littoribus eſſe moleſti, diſcimus ex *C. Sollio Apollinari Sidonio*, Arvernorum Epiſcopo, qui ſub Leone & Zenone floruit, & l. VIII. Epiſt. 6. ad Nammatium *Archipiratas* vocat, quos *exerceant naufragia, non terreant: quibus cum diſcriminibus pelagi non notitia tantum, ſed familiaritas ſit*: & in Epiſt. 9. ad Lampridium, non inelegantibus phaleucis, *aſſvetos ſalo & cærulos* appellat,

appellat, id eſt, coloris cærulei & quaſi marini, à mora in mari contracti. Et propter has piraticas irruptiones Littorum Præfectos Romani habebant, qui etiam Comites vocabantur, uti *Amm. Marcellinus* l. 28. c. 5. Nannetem Comitem *Saxonicæ eruptionis procellam* ſuſtinuiſſe ſcribit, & *maritimi tractus comitem* nominat l. 27. c. 8. Quod officium duraſſe ad Caroli M. tempora diſcimus ex *Eginhardo* in vita Caroli c. 8. ubi *Rutlandus Britannici littoris præfectus*, & in *Annalibus Francicis Adelmi* ad An. 799. Wido Britannici littoris comes ac præfectus nominatur. Diſertè vero in *Notitia Imperii* mentio fit *Comitis littoris Saxonici per Britanniam* p. 110. & *Tribuni cohortis primæ novæ Aremoricæ in littore Saxonico* p. 137. qui ad Saxonum deprædationes impediendas erant conſtituti, quando ſcilicet

— *Aremoricus piratam Saxona tractus*
Sperabat (id eſt metuebat,) *cui pelle ſalum ſulcare Britannum*
Ludus, & aſſuto glaucum mare findere lembo.

Videtur autem totus ille tractus à Ligeri ad Albim uſque Saxonicum littus vocari, quod ſcilicet reſpiceret Saxones, & ab illis advenientibus infeſtaretur, Romanique Cæſares poſteriores ibi præſidium perpetuum adverſus piratas Saxones haberent: quamvis aliquando Saxones in ea ora Galliæ, quæ oſtiis Sequanæ alluitur, habitaſſe, ex hoc ipſo nomine Littoris Saxonici colligat doctiſſimus *Jacobus Sirmondus* not. ad Capitularia Francor. p. 771. edit. Baluz. putetque locum ipſum propius indicari à *Gregorio Turonenſi*, quando *Saxones Bajocasſinos* nominat l. V. hiſtor. c. 27. Quomodocunque autem hæc ſeſe habeant, poſſent adhuc longè plura à me adduci, Saxonum antiquorum nauticæ rei peritiam & maritimas excurſiones teſtantia, niſi res clara eſſet. *Philippus Cluverius* in Germ. Antiq. illam artis nauticæ peritiam, à priſcis Saxonibus ortam, hodieque in Friſiæ,

ſiæ, Bataviæ & Angliæ incolis obſervari, Gallos quoque atque Hiſpanos, qui Oceanum magnum navigant, ab his didiciſſe ſcribit, cujus documentum certum præbeant pleraque vocabula nautica, quæ in hunc uſque diem apud illos quoque ſint merè Germanica.

Sicut autem Saxones primò Chaucorum, & ad mare, fluminumque oſtia ſitas terras occupaverant, ita deinde magnam inferioris Germaniæ partem & illa mediterranea loca invaſerunt, quæ Sicambri, Ampſivarii, Cheruſci, Marſi olim tenuerant, Francis expulſis: quamvis certo aſſerere nequeam, armisne populos modo dictos ſubegerint, an illi ultro in fædus cum ipſis, unamque rempublicam cojerint? Nomen tùm certè Saxonum, reliquis abolitis, prævaluit. Non referam autem nunc, quomodo Saxones Francorum fines populati ab illisque repulſi, interdum etiam victores, ut *Aimoinus* refert l. 2. c. 27. extiterint: quomodo tamen ſeculo ſexto terminos ſuos per Thuringiam promoverint, data per ipſos Francos occaſione, qui Rege Theodorico, Clodovæi Magni filio, contra Ermenfridum Thuringorum Regem eos in auxilium vocaverunt, tacendo prætetire nequeo, cum ex ſolis ferè *Eginhardi* libris deperditis, quorum aliquod Excerptum nobis conſervavit *Adamus Bremenſis*, & *Widichindi* Monachi lib. 1. hiſtoriam illam haurire liceat, dum Gallici ſcriptores tacent, & *Aimoinus* l. 2. c. 9. hanc quidem Francorum in Thuringos expeditionem narrat, nullam tamen, vel uno verbulo, Saxonum mentionem facit. Quinam Saxones illi fuerint, quibusque in ſedibus tum hæſerint, nec Eginhardus, nec Witichindus diſtinctè narrant, non longis tamen itineribus ad Francos acceſſiſſe, ſed in vicinia fuiſſe, ex tota narrationis ſerie patet, ut mirer Virum doctiſſimum Saxones ex Anglia hîc velle repetere, & ea occaſione in loco Procopii conſtantem lectionem tollere, & pro Φρίσσονες intrudere

dere Σάξονες, & non obſervaſſe, Procopium ibi à Βεριτίᾳ diſtinguere Ϛερίνιαν. Quanquam autem terram Thuringorum Saxonibus, ſi vincerent, permiſerat Theodoricus, non tamen, victoria licet cruenta, ſexmillibus ſuorum amiſſis, reportata, ſtatim eam adepti ſunt, ſed odio Herminfridi erga eos, qui ſe dedere Francis quàm Saxonibus malebat, ſpe penè omni excidiſſent; compertis tamen machinationibus hoſtilibus & Regis Erminfridi, conſtantia & virtute Ducis ſui (quem Hadagatum *Eginbardus*, Hathagaſt *Witichindus*, Hatugato *Urſpergenſis* nominant, & ſolum quidem illum, nulla facta mentione Bernthowaldi vel Bernwaldi, quem, Aſcaniæ dominum, recentiores *Brotruffius* aliique huc adducunt, cuique Scheidingam ceſſiſſe volunt) urbem Scheidingam ad Unſtrutum fluvium, in qua hærebat Herminfridus, expugnarunt, cæſis, qui aderant, Thuringis, Rege licet cum uxore & liberis elapſo. Cum igitur ita victores ad Theodericum rediiſſent, ſimul in poſſeſſionem terræ promiſſæ venerunt, *ſociiq; Francorum & amici appellati* ſunt. Non omnem tamen Thuringiam acceperunt Saxones, ſed facta diviſione (à qua ipſi urbi Scheidingae nomen obtigiſſe ſuſpicatur celeberrimus *Sagittarius*, amicus noſter, antiquit. regni Thuringici l. 2. c. 12.) illam tantum, quæ eſt nobis cis Unſtrutum fluvium, ceu notat *Eginbardus*: De qua diviſione multa etiam præclara obſervat nobiliſſimus *Conringius* noſter in diſſertatione de antiquo Helmæſtadii ſtatu, & illud imprimis, quod inde hodieq; Imperiales illæ urbes Mulhuſum & Northuſum, Thuringicæ licet, Saxoniæ tamen tribuantur, Circulo ſcilicet Saxonico inferiore comprehenſæ. *Auctor* quoq; *Hiſtoriæ de Landgraviis Thuringiæ* (recentior licet) c. V. à Duce tum Saxonum ad defenſionem terrarum acceptarum caſtrum extructum ſcribit, quod *nominaverint ſecundum ſuum nomen* (intellige gentis Saxonum) Sachſen-

burg / cujus hodieq; rudera ſuperſunt. Meretur igitur tempus hujus Saxonicæ victoriæ, & ſecutæ inde in his terris mutationis, diligenter notari, anni ſcilicet poſt natum Chriſtum DXXXIV. primus Octobris dies, quam propter victoriam reportatam Saxones non tantum, quemdiu pagani fuerunt, ſed poſtea quoque, Chriſtiani facti, jejuniis, orationibus, oblationibusq; coluerunt, ut refert *Witichindus*. Tunc igitur terminos illos accepit Saxonia, quos in ſuo de ea carmine, à Patre meo primum publicato, exponit *Theodorus Lange* ſeu *Longus* Eimbeccenſis:

Objicibus vaſtis includitur & ſpatioſis
Limitibus, cujus etiam Weſtphalia pars eſt.
Rhenus ab Occaſu, ſimul Odera ſolis ab ortu,
Oceanus Borea, qua terminat Unſtrot ab ortu.

Ab eo enim tempore à Saxonibus poſſideri cæperunt hæc ipſa, quæ nos incolimus, loca, quæ olim quidem ad Nort-Thuringiam pertinuerunt. Neque tamen, Saxonibus licet dominis, ſtatim nomen ipſum Thuringiæ evanuit, ſed diu poſt hæc tempora mentionem adhuc fieri Pagi Nort-Thuringici (Procinciam Nort-Thuringicam vocat *Dithmarus Mersburg.* l. VIII.) obſervamus, non tantum Caroli M. & Ludovici Pii ævo, ſed Ottonis quoq; primi & ſecundi, ut ex illorum tabulis ſuperſtitibus patet, complexusq; ille eſt omnem terram illam, quæ jacet inter Hartzicam ſylvam, Salam & Albim ad Haveli ripas & Alarim amnem usque, ut pluribus docuit Avus meus *Henricus Meibomius* diſſertatione de Pagis Saxoniæ: cujus quidem rei cauſam ex *Einhardo Witichindoq;* petendam arbitror, qui narrant, Saxones, cum multis millibus ſuorum amiſſis, totam terram occupare non poſſent, colonis tradidiſſe exercendam, ſed ſub tributis, unde factum, ut, cum non poſſiderent ipſi, ſed tributariam tantum haberent terram, vetus Thuringiæ nomen tanto retinuerit diutius.

Et

Et ita quidem Saxones *poſſeſſa terra ſumma pace quieverunt, ſocietate Francorum & amicitia uſi*, ut loquitur Witichindus: fuit tamen Saxonica gens inter illas, quæ bona pacis ignorarent, & quieſcere neſcia hoc ipſo ſeculo ſexto multos ſuorum magno numero Longobardis in Italiam euntibus junxit. Alboinus ſcilicet Longobardorum Rex cum à Narſete ex Pannonia in Italiam vocaretur, non contentus multos ſecum ex diverſis, quas vel alii Reges, vel ipſe ceperat, gentibus, Gepidis, Bulgaris, Sarmatis, Pannoniis, Suavis, Noricis tantæ expeditioni ſuſcipiendæ adduxiſſe, etiam *à vetulis ſuis amicis Saxonibus auxilium petiit, quorum plusquam viginti millia virorum cum uxoribus ſimul & parvulis venerunt in Italiam ituri*, (verba *Paulli Diaconi* de geſt. Longob. l. 2. c. 6.) quique dein in Galliam quoque irruerunt, prædasque magnas egerunt. Repreſſi tamen ibi, cum & Longobardi proprio eos jure ſubſiſtere pati nollent, & Saxones illorum imperiis ſe ſubjicere refragarentur, de patria repetenda conſilia inierunt, cumq; uxoribus & liberis itinere per Gallias, permittente Rege Sigisberto, ut explicat *Aimoinus* l. 3. c. 7. inſtituto, domum redierunt. Illa tamen patria loca, ſtatim ac Saxones ex iis exierant, Reges Francorum Chlotarius & Sigisbertus Svavis aliisq; gentibus dederant, unde redeuntibus poſt ſextum decimum annum cum his pugnandum fuit. Obtulerunt tamen novi poſſeſſores antiquis incolis tertiam partem regionis, dein mediam, deniq; duas, ſibi ſervata tantum tertia, & pecora quoque, obtinere tamen pacem non potuerunt & ad bellum res devenit; in quo tamen, cum Saxones primo infelici prælio viginti millia ſuorum amisſiſſent, & altero iterum graviter attiti eſſent, quieſcere tandem coacti ſunt, uti omnia illa nobis narrat *Warnefridus* ſeu *Paulus Diaconus* ſupra citatæ hiſtoriæ l. 3. c. 7. De ſuorum Saxonum in

Italiam excurſionibus loquitur etiam Pœtaſter *Theodoricus Longus* in Saxonia ſua.

Junctus Saxo Rugis (Herulis) *Romanam ſubdidit urbem,*
In qua bis ſeptem regnavit Odocarus annis.
Tunc Longobardis allectus opem tulit idem.
Igniferi cunei tunc cælo currere viſi.

De quibus haſtis atque aciebus igneis aſſidue à Septentrionis partibus apparentibus, & ex mente S. Gregorii ingentem mortalium ſtragem ab eâ parte denunciantibus refert *Car. Sigonius* l. 1. de regn. Ital. ad An. DLXVII.

Hinc jam ad Seculum VII. & Carolo M. proxima tempora dilabimur, quando Saxonum per bella cum Francis geſta major & accurratior cæpit eſſe notitia. Tum etiam diviſionem illam Saxonum in tres Gentes, in *Oſtwalos*, qui aliàs *Oſterlingi*, & *Auſterlandi* apud *Auctorem vitæ Caroli M. à Pythæo* editum, & *Orientales* vocantur: *Weſtphalos* & *Angarios*. Apud *Eginhartum* quidem, in vita Caroli accuratè ſatis ſcripta, nulla, quod mireris, hujus diſtinctionis fit mentio: in Annalibus Francicis *Adelmi* Benedictini monachi, *Angariis* ſilentio præteritis, *Weſtphalabi* & *Orientales Saxones* tantum nominantur ad An. 784. In ipſis tamen Caroli M. Capitularibus ſcribuntur *congregati Saxones de diverſis pagis tam de Weſtfalabis & Angrariis, quam & de Oſtfalabis.* Nominant quoque illos Leges Saxonum à *Frider. Lindenbrogio* editæ. Meminit quoque illorum *Poeta Anonymus*, qui de geſtis Caroli M. Annalium libros quinque ſcripſit, cujus MStum (unicum, niſallor, quod extat) in noſtræ Academiæ Juliæ Bibliotheca publica ſervatur, ex quo ante octoginta annos edidit V. CL. *Reinerus Reineccius*. Vixit quidem ille aliquanto poſt Carolum temporis ſpatio ſub Arnolpho Imperatore, non tamen nomina tantum horum populorum, jam aliàs nota, ex eo diſcimus, ſed terminos quoque, quales in genere fuerint, mereturque in his tanto majorem fidem, quoniam

ipſe

ipſe Saxo, fuit, patriarum rerum peritus. Ipſa proinde ejus verba, qualia habentur l. 1. p. 2. adducam:

Sed generalis habet populos diviſio ternos.
Inſignita quibus Saxonia floruit olim.
Nomina nunc remanent, virtus antiqua receſſit,
Deniq; Weſtfalos vocitant in parte manentes
Occidua, quorum non longè terminus amne
A Rheno diſtat. Regionem Solis ad ortum
Inhabitant Oſterlingi, quos nomine quidam,
Oſtvalos alii vocitant: confinia quorum
Infeſtant conjuncta ſuis gens perfida Slavis.
Inter prædictos media regione morantur
Angarii, populus Saxonum tertius. Horum
Patria Francorum terris ſociatur ab Auſtro,
Oceanoq; eadem conjungitur ex Aquilone.

Hujus diviſionis in tres gentes meminit deinde adhuc, circa Ottonum Imperatorum tempora, *Witichindus* Monachus l. 1. Nec facile aſſerueris, quando primum Weſtfalia Saxoniæ nomen amittere, & Oſtfalia illo κατ' ἐξοχὴν gaudere cæperit. *Reinerus Reineccius* libello de Saxonum origine prius factum eſſe putat, quando Ludolfus, Waltperti filius, Widechindi magni pronepos, ſedem ſuam ex Weſtfalia, ubi hactenus fuerat, in Oſtfaliam tranſtulit, dependente ita nominis Saxoniæ uſu ab Aulæ ſede. Cl. *Conringius* non multum diverſus tum factum illud exiſtimat, quando à Francorum Regibus, & poſtea Imperatoribus Germanicis univerſae Saxoniæ Ducatus Principibus in Oſtfalia degentibus commiſſus eſt. Sanè, diu ſatis pro una quaſi gente habebantur, unoque duce, Saxoniæ dicto, gaudebant Weſtfali, Angrarii & Oſtfali, quod ex hiſtoria Lotharii, Henrici Superbi & Henrici Leonis manifeſtum eſt, nulla tum ducis Weſtfaliæ aut Angrariæ extante memoria.. Poſt Henrici Leonis vero à Friderico I. factam

 exaucto-

exauctorationem, uti peculiaris & priori longe minor Saxoniæ Ducatus conſtitutus, ita tum quoque non amplius Weſtfaliam Saxoniæ nomine comprehenſam, ſed ſuo proprio appellatam cenſeo. In Diplomatibus, Friderici I. quo A. 1180. Friderico Archiepiſcopo Colonienſi, & Philippi Cæſaris, quo Adolpho Colonienſi Archiepiſcopo A. 1204. eundem conferunt, & confirmant, Ducatus Weſtfaliæ & Angariæ prima mentio, quod ſciam, occurrit. Tum enim Ducatus ille magnus Saxoniæ totius, quem hactenus majorum ſuorum exemplo habuerat Henricus Leo, diviſus eſt, & pars Archiepiſcopo Colonienſi, pars Bernhardo Balenſtedio ex Anhaltinis data eſt, habentque hoc nomine Colonienſes adhuc equum candidum, antiquum Saxoniæ inſigne, in clypeo, quem pari jure Saxo-Lauenburgici ſibi ſumere potuiſſent, cum ducatus illius altera pars, Reſcripto Cæſareo, ipſis data ſit, nec alio nomine equum illum habeant Colonienſes. Hinc *Guntherus* in Ligurino l. 1. v. 200. *Weſtvaliæ urbes* ſeparatim locat, & à *Saxonibus* diſtinguit. Sed redeo ad antiquos Saxones, qui poſtquam ſemel in terris modo dictis pedem figere cæperunt, non pari quidem ſemper fortuna uſi ſunt, nunquam tamen ex illis iterum expelli potuerunt. A Slavis Oſtvalos fuiſſe infeſtatos, jam tum ex Poeta ſub Arnulpho audivimus, alii cum aliis finitimis ſuis, ortis, ut fieri ſolet, litibus, interdum cum Cattis ſive Haſſis, frequentiſſimè cum Francis bella geſſerunt, memoratu digna. Et Franci quidem ſub Clothario, Dagoberto, Carolo Martello, Carolomanno, Pipino magnas Saxonibus intulerunt clades, terrasque eorum latè vaſtarunt & tributarias fecerunt. Non credo tamen *Aimoino* monacho, qui lib. 4. cap. 18. p. 366. Clotharium poſt Berthoaldi Saxonum ducis cædem ingreſſum in Saxoniam & ita eam depopulatum ſcribit, ut *nullum in ea hominem viventem relinqueret, qui longitudinem ſpathæ exceſſiſſet.* Nimia

mia ſanè hyperbole, & vix in poeta toleranda, niſi de modica aliqua parte Saxoniæ id intelligas. Elevavit vero jam tum narrationis hujus fidem *Adrianus Valleſius* lib. XIIX. Rerum Francicarum. Tributum tamen pendere Franciſ, ſub Clothario quidem vaccarum certum numerum regiæ menſæ inferre, illo autem ſub ſpecie parandi in Slavos pro Francis belli, ſoluti, à Pipino nova victoria ſubacti, annis ſingulis honoris cauſa ad generalem conventum trecentos Equos mittere coacti ſunt: quæ Pipini in Saxoniam irruptio maximè notabilis fuit. Quamvis enim Saxones munitiones feciſſent, easque fortiſſimè tuerentur, tamen Franci, pulſis prælio propugnatoribus, *per ipſum, quo patriam defendere conabantur, vallum, intraverunt*, ut habent Annales Rer. Francic. ad annum modo dictum.

Appropinquabat tandem tempus, quo gens *natura ferox & cultui dæmonum dedita*, ut loquitur Eginhardus, miteſceret, & Chriſtianam quoque religionem ſuſciperet, quod ſub Carolo M. factum, ſed non niſi poſt XXXII. annorum acerrimum bellum, *quo nullum neque prolixius, neque atrocius, Francorumque populo laborioſius ſuſceptum eſt*, ut iterum Eginhardus,

Carole, qui Friſones, Ligures, Italos, Aquitanos,
Hunnos, Illyricum viciſti tempore parvo,
In ſex Saxones luſtris vix perdomuiſti

inquit iterum *Longus in* Poemate de Saxonia.

Cauſam belli illius repetit *Eginhardus* à terminis Saxonicis & Francicis pene ubique in plano contiguis, unde cædes & rapinæ & incendia, quibus Franci irritati, non vices reddere, ſed apertum contra eos bellum ſuſcipere decreverunt. Taxat ibi *Eginhardus* & *ferocitatem* Saxonum & *perfidiam*, & hinc factum, quod non citius finitum fuerit id bellum, ſcribit. Et de feritate quidem Saxonum nota res ex iis, quæ ſupra diximus, & ex *Sidonio* lib. 8. Epiſt. *6. Salvianus*

tamen

tamen Epiſcopus Maſſilienſis l. VII. de gubernat Dei. p. 263. cum Gothos perfidos, Francos mendaces dixiſſet, *Saxones crudelitate efferos, ſed minus perfidos*, ſcribit. Interim certum eſt in bello illo cum Carolo ſæpe Saxones ſuperatos ac ſupplices ſeſe dedidiſſe, & imperata facturos ſe pollicitos, obſidesque etiam imperatos dediſſe, (quorum quindecim illuſtres in Galliam miſſos, & Wulfario Epiſcopo à Carolo cuſtodiendos traditos, refert in Chron. Eccleſ. Rem. l. 2. c. 18. *Flodoardus*) & aliquoties ita emollitos, ut etiam dæmonum cultum dimittere, & Chriſtianæ religioni ſubdere ſe colla velle promitterent, tamen deinde pacta non ſervaſſe, *indomita nimium feritate rebelles*, ut de iis canit *Guntherus* in Ligurino l. 1. Sæpius hoc tempore per duces ſuos, bis ipſe Carolus cum Saxonibus conflixit, & cum ſuo exercitu victore, ad hæc uſque quæ nos incolimus, loca progreſſus, ad Oræ & Albis confluxum caſtra ſua locavit, & in vico *Orbem* vel *Horem*, ſito in ripa fluminis Ocri, in præfectura Slademenſi, maximam Orientalium Saxonum multitudinem baptizari fecit anno 780. ut narrant Francorum Annales. Conſumpti ſunt in eo bello plures ex nobilitate Saxonum, aliquot millia Verdæ ad Allarim fluvium cæſa, plura millia eorum in alias terras translata. *Eginhardus* c. 7. refert Carolum decem millia hominum, ex iis, qui utrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum uxoribus & liberis ſublata tranſtuliſſe, & huc atque illuc per Galliam atque Germaniam multimoda diviſione diſtribuiſſe, quem ſequitur *Adamus Bremenſis* in Hiſtoria Eccleſiaſt. l. 1. Alii tamen de Tranſalbinis Saxonibus tantum id ſcribunt, & diſertè *Regino* ad An. 814. notat, omnes, qui trans Albiam in Wihmodi habitabant Saxones, cum mulieribus & parvulis translatos in Franciam, & pagos Tranſalbianos Obotritis datos eſſe. Sive autem Tranſalbiani ſoli, ſive Cis-Albiani, & alii, & alio tempore quoque, translati ſint (id

quod

quod mihi veroſimilius videtur, cum *Annales* quoque *Fuldenſes*, poſtquam Saxones ad prælium in pago Sintfelt parati Carolo ſeſe dedidiſſent, ***tertium ex iis hominem translatum eſſe***, memorent) Transalbianos tamen poſt ſeptennium reſtitutos patriis locis, ex verbis Ludovici Pii in Privilegio Hammenburgenſi Eccleſiæ dato, diſcimus; quæ, cum cauſam quoque translationis indicent, & à nemine aliâs id memorari ſciam, integra recitabo, uti à diligentiſſimo *Erpoldo Lindenbrogio* in Append. ad Hiſtoriam Archiepiſcoporum Bremenſium primum edita ſunt p. 143. ***Progenitor noſter glorioſæ memoriæ Karulus omnem Saxoniam Eccleſiaſticæ religioni ſubdidit, jugumq; Chriſti ad usque terminos Danorum atque Slavorum corda ferocia ferro perdomans docuit, ubi inter has utrasq; gentes Danorum ſive Winedorum ultimam Saxoniæ partem ſitam, & diverſis periculis, temporalibus videlicet, & ſpiritualibus, interjacentem perſpiciens Pontificalem ibidem ſedem fieri decrevit trans Albiam. Unde poſtquam terram Transalbianorum, laxata captivitate, quam ob multam perfidiam in ipſis Chriſtianitatis initiis patratam per ſeptennium pasſi ſunt, ne locus ille à Barbaris invaderetur, Ekeberto Comiti reſtituere præceperat, non jam vicinis Epiſcopis committere voluit.*** Et paullo poſt ſcribitur, *captivos optatam in patriam undiq; confluxiſſe*. Diſputat autem de priſcis illis Saxoniæ Transalbianæ limitibus egregiè *Conringius* l. 1. c. 4. Operis ſui de finibus Imperii. *Dithmarus* l. 2. dividit illos in *Thietmarsgojos*, id eſt, Dithmarſos, *Olcetas* ſive Holtzatos, *Sturmarios* ſive Stormarios, quibus *Helmoldus* l. 1. c. 25. proximè adjungit *Bardos*. *Crantzius* Saxon. l. 2. c. 19. ab hac Trans-Albianorum Saxonum translatione eſſe originem illam Germanicæ nationis per rura Galliarum diſſeminatam ſcribit: inde

eſſe Brabantinos, inde Flandrenſes, in ſolo Gallico manentes, origine Germana. Verum, an in illa ſeptennii captivitate iſtis in locis multum ſe propagarint, cum illa ſoluta rediiſſe in priſcas ſedes memoret Ludovicus Pius, valde dubito. Suffragatur quidem *Crantzio* nobiliſſimus *Janus Douſa* l. 2. Annalium Hollandiæ p. 86. docetque ſupereſſe Saxonici nominis veſtigia in municipio Bataviæ non incelebri, *Saxheimio*, quod interpretatur Saxonicæ gentis coloniam pomæriis ſuis circumſcriptam, deprehenſâ ſibi vocabuli illius ſignificatione in antiquis tabulis. Inde tamen non conſtat, Saxones, qui à Carolo translati ſunt, illa ſui nominis veſtigia reliquiſſe, cum jam diu ante ad maritima Bataviæ Saxones migraſſe, ſuperius oſtenderim, & Engiſto Saxonum Duce, ſuperata Britannia ad ea loca reduce, in Urbe Lugduno Burgum, celebre olim munimentum, & hodieque in ruderibus ſuis notabile, extructum eſſe, conſtans fama ſit. Quomodocunq; autem hæc ſeſe habeant, unius Caroli M. felicitas & fortitudo Saxones omnes demum domuit, majorq; fuit, quàm omnium anteceſſorum ſuorum. Equidem jam tum Romani, ut ex præcedentibus patuit, contra illos non infeliciter pugnaverant, & Honorii Stiliconisque virtuti adſcribit *Claudianus*,

domito quod Saxone Thetis
Mitior.

Et de Juliani Cæſaris expeditione jam tum dixi. Fuerunt tamen magis ſolliciti Romani de defenſione limitum ſuorum contra Saxones, quam de illorum in propriis ſedibus oppugnatione. De Saxonia in Provinciam redacta nullibi verbum ullum legere eſt. Et hinc factum arbitror, ut, cum Romani Imperatores non ab aliis tantum gentibus devictis nomina ſibi adſciſcerent, ſed Germanicis quoque, & inde Germanici, Alemannicique, ut Vitellius, Domitianus,

nus, Trajanus, M. Antoninus, Caracalla, Commodus, aliiq; vocarentur, ceu ex inſcriptionibus, nummis, aliisq; monumentis, diſcere licet, nemo tamen ſe Saxonicum ſcripſerit. Crevit ſub ſequentibus Imperatoribus titulorum illorum numerus, & Conſtantinus M. ipſe Gothicum, Sarmaticum, Britannicum, Hunnicum ſe in Edictis vocavit, Juſtinianus Francicum præterea, Anticum, Alanicum, Vandalicum, ut vel ex fronte *Inſtitutionum Juris civilis* apparet, alii Longobardicos, Herulicos præterea & Gepidicos; fruſtra tamen Saxonici titulum quæras. An forte à contempta natione Saxonum titulum ſibi arrogare noluerunt, uti à Judaica gente, devicta licet & triumphata, Veſpaſianos tamen nomen ſibi ſumſiſſe non legas? Non crediderim. Sub Germanici titulo comprehenſum illum voluerunt. De Theodoſio tamen ſcribit *Pacatus* in Panegyrico: *Pauciora in Annalium ſcriniis, quàm in veſtræ domus titulis cognomenta legerentur. Cum ipſe Saxonicus, ipſe Sarmaticus, ipſe Alemannicus diceretur.* Et jam tum antea, ſub Theodoſio victos à Romanis Saxones, & ſpectaculis in ipſa urbe Roma captivos deſtinatos, ex *Symmacho* oſtendi. Nulla tamen Inſcriptio, nullus mihi Nummus, inter tot Theodoſianos, viſus, qui Saxonici titulum præferret: quamvis fortaſſis in illis non uſurparit, uti de Probo *Vopiſcus* quidem ſcribit: *Tu Francicus, tu Gothicus, tu Sarmaticus*, in nulla tamen inſcriptione aut nummo titulus hic ejus apparet. Neque vero à Saxonibus, præliis levibus ſuperatis, & repreſſis tantum, non victis, jure ſibi arrogare titulum, redactæ ſub jugum gentis teſtem, potuiſſent, meruiſſentque exprobationem generoſi Francorum Regis Theodeberti, qui non tolerandum putabat, Juſtinianum in Edictis ſe Francicum, Alemannicum, Gepidicum, Longobardicum nominare, quaſi eas gentes in ſer-

 vitu-

vitutem redegiſſet ὡς δὴ ἀυτῶν ἁπάντων ἐθνῶν δεδουλωμένων, ut ſcribit *Agathias* l. 1. At Carolus M. ſummo jure, poſt illud XXXII. annorum graviſſimum bellum finitum, adſcribere titulis ſuis *Saxonicum* potuiſſet, ſi pari cum Romanis Imperatoribus ambitione, victis gentibus illudere voluiſſet. Dubites tamen, an unquam ita ſe ſcripſerit? In Diplomatibus enim, Francorum & Longobardorum ſe Regem, Auguſtum à Deo coronatum, Romanorum gubernantem Imperium (nullo de Saxonia verbo addito) ſe ſcribit, uti teſtantur omnes ejus genuinæ & nullo nomine ſuſpectæ tabulæ, pluribusque oſtendit eruditiſſimus *Mabillonius* l. 2. de Re Diplomatica veterum. c. 3. In unico tamen Privilegio, dato Oſnaburgenſi Eccleſiæ A. C. DCCCIV. qui eſt quartus Imperii Carolini, talis extat inſolitus ejus in fronte titulus: *Carolus Imperator Auguſtus Romanum gubernans imperium, qui & Rex Francorum & Longobardorum, nec non modo Dominator & Saxonum.* Non poſſum tamen ſilentio præterire, hoc Diploma, poſtquam à *Crantzio* aliisque productum eſt, ſuſpectum eſſe cæpiſſe Viris eruditis: imo, quamvis deinde ex ipſo, ceu credidit, Autographo, in Tabulario Oſnaburgenſis Eccleſiæ aſſervato & vetuſtate obſoleto, adhibitis teſtibus viris eruditis, priſco ævi charactere diligenter obſervato, produxerit Reverendiſſimus Epiſcopus Paderbornenſis & dein Monaſterienſis *Ferdinandus* ſuisque monumentis Paderbornenſibus addi fecerit, illudque nativo ſuo colore & forma ſcribendi nullam dubitationem ſuppeditare poſſe judicet, *& aut fidem obtinere, aut nullam humanam fidem ex Cæſarum tabulis aſſertam valere* ſcribat. Tamen hoc ipſum doctiſſimus *Carolus Cointius* Tom. VI. Annal. Eccleſiaſtic. Francor. p. 825. non uno modo ſuſpectum reddere conatus eſt, & diligentiſſimus *Daniel Papebrochius*, in Propylæo, quod Actis Sanctorum. Tom. II. Aprilis. præfixit, parte 1. §. 28. acriter illud impugnat, & aliis collatum præfer-

præferre ſtylum ætatis poſterioris, & *inſignes complecti nugas de obligatione ſuſcipiendæ in Gratiam legationis Eccleſiæ illius Epiſcopo impoſitam*, non veretur ſcribere. Quamvis autem multa ibi *Papæbrochius* de ſtylo, de verbis initialibus, ſubſcriptione, & ſigillo denique moneat, hujus tamen inſoliti tituli, & in nullo alio Carolino diplomate apparentis, *Dominatoris Saxonum*, nullo verbo facit mentionem. Scio quidem in talibus interdum ſibi permittere aliquid Principes, nec ſtatim rejiciendum eſſe diploma, ſi titulus aliquis inſolitus appareat, quod illuſtri & à nemine hactenus obſervato exemplo, in titulo *Saxonici* ex Ottonis III. diplomate docebo. Otto ille tertius alias quidem tantum ſe *divina favente clementia Romanorum Imperatorem Auguſtum* vocat in Diplomatum ſuorum initiis, in uno tamen dato *Romæ Anno Dominicæ Incarnationis M. I. Indictione XIII. Anno tertii Ottonis Regnantis XVI. Imperii. V.* recognoſcente *Heriberto Cancellario vice Willigiſi Archiepiſcopi*, ita incipit: *In nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto III. Romanus, Saxonicus, & Italicus, Apoſtolorum ſervus, dono Dei Romani orbis Imperator Auguſtus.* In quo, nullo modo ſuſpecto, ab harum rerum peritiſſimo *Joh. Henrico Hofmanno* ex autographo deſcripto, & ab illo mecum communicato, titulus planè inſolens eſt, nec tamen fidem illi, ut arbitror, demit. Poſſes igitur de Carolino id quoque dicere, & ſuſpicari, quoniam Carolus Privilegium illud primæ à ſe in Saxonia erectæ Eccleſiæ Oſnaburgenſi contulit, in eo ſe, non item in aliis, *Dominatorem Saxonum* vocaſſe: Extat tamen aliud Caroli M. eidem Eccleſiæ Oſnaburgenſi anno præcedente datum, quod inſolitum hunc titulum non habet. Verum de Diplomatis illius genuinitate diſputabo aliàs, ubi omnium, quæ à Carolo in Saxonia dicuntur erecti, Epiſcopatuum primam fundationem & fundationum tabulas, à nonnullis præclaris viris in dubium vocatas, ab aliis pertinaciter

tinaciter defenſas, ſingulari opere, examinabo. Celeberrimus noſter *Conringius*, de Privilegii Carolini genuinitate ſcilicet ſecurus, πολιτικῶς titulum illum *Dominator Saxonum* conſiderat, Excercitat. De Civibus Imperii. §. 27. putatque non alia de cauſa Saxoniæ Dominum ſe dicere & Francorum Regem: non item aliorum populorum, quos plurimos continuit imperio ſuo, niſi ſolorum in Italia Longobardorum, nomen titulo ſuo Regio adjunxiſſe: quam quod hi populi ſoli libertate fruentes, non in Francorum ditionem penitus conceſſiſſent. Quæ quidem ipſa ex mox dicendis clarius patebunt.

Fuit vero is eventus Belli Franco-Saxonici, ut Saxones, qui hactenus fortiter reſtiterant, &c,

Duris ut ilex icta bipennibus
Per damna, per cædes ab ipſo
Ducit opes animumq; ferro,

inter graviſſimas clades & ſuorum translationes caput ſæpe iterum erexerant, victi penitus, abjecto dæmonum cultu, & relictis patriis ceremoniis, Chriſtianæ fidei ac religionis ſacramenta ſuſciperent, & *Francis adunati unus cum iis populus efficerentur*, ut loquitur *Eginhardus*,

Hoc ſunt poſtremo ſociati fœdere Francis,
Ut gens & populus fieret concorditer unus,
Ac ſemper Regi parens æqualiter uni, inquit

Poëta Anonymus a *Reineccio* editus. *Regino* verbis notabilibus ſcribit, eos non Regi tantum & filiis ejus, *ſed etiam Francis fidelitatem promiſiſſe.* In Diplomate vero Verdenſi Eccleſiæ dato ſcribit Carolus, ſe *Saxonum terram ſecundum antiquorum Romanorum morem in provinciam redegiſſe.* Cum autem illius ævi hiſtorici, eorum, quæ ad Rempubl. ſpectant, plerumque imperiti fuerint, ideoque ruditer res narrent, nec in narrando inter ſe conveniant, non ſatis determinari poteſt, qualis Saxonibus libertas relicta, aut in quantum

tum acciſa fuerit, egregiè hanc rem diſputantibus *Reinero Reineccio* de Saxonum originibus libello, & *Joh. Grypbiandro* lib. de Stat. Roland. c. 22. & ſeqq. quorum ſcrinia compilare nolo. In principio tamen Saxones, adeo gravi bello devictos, duriuſcule habitos à Carolo, valde veroſimile eſt. Non narrant quidem id Scriptores vitæ ipſius Caroli; quæ tamen de Ludovici Pii erga eos clementia, comparata cum Caroli ſeveritate, Hiſtorici ſcribunt, ſatis ſuperque id docent. Ipſa *Anonymi* quidem, ſed coævi, *Ludovici Pii vitæ ſcriptoris* verba merentur audiri. Cum enim narraſſet Ludovicum Saxonibus *jus paternæ hæreditatis, quod ſub patre* (Carolo) *ob perfidiam legaliter perdiderant, imperatoria clementia reſtituiſſe*, alios id liberalitati, alios *improvidentiæ* Imperatoris aſſignaſſe ſcribit, quod *hæ gentes naturali aſſuefactæ feritati talibus habenis deberent coerceri, ne ſcilicet effrenes in perduellionis ferrentur procacitatem*: addit tamen deinde, Ludovicum ſe eos ſibi arctius devincire crediſſe, quo eis beneficia largiretur potiora, *nec eſſe ſpe ſua deceptum, nam poſtbac easdem gentes ſemper ſibi devotiſſimas habuiſſe*. Prudenter vero Carolus & uſu edoctus inter initia genti perfidæ, & toties rebellanti, habenas non nimis laxavit, omnesque modos contra Francos inſurgendi præcidit: quo etiam illud pertinet, quod in *Capitulari Caroli M.* de partibus Saxoniæ n. 33 vetantur *omnes Saxones generaliter conventus publicos babere, niſi forte Miſſus Regis de verbo Regis eos congregare fecerit.* Relictum tamen à Carolo Jus Civitatis Saxonibus cum Francis commune, rectè aſſerit CL. *Conringius* Exercit. de Civibus Imperii. §. 29: Cur tamen ſuſpicetur, Primores, qui ad conventus publicos fuerunt accerſiti, non fuiſſe Saxones, ſed Francos, & aliis illis præfectos, cauſam non video, & contrarium docet *Capitulare* II. editum à reverendiſſimo Principe *Ferdinando.* Ibi enim regnante Domino Carolo, convenientibus in unum in

ejus

ejus obſequio venerabilibus Epiſcopis, Abbatibus & illuſtribus Comitibus, diſertè memorantur *ſimul congregati Saxones de diverſis pagis tam de Weſtfalabis & Angrariis, quam & de Oſtfalabis*. Et in ipſo Capitulari, cap. 2. *Item placuit Saxonibus*. Et cap. 9. *Conſenſu Francorum & fidelium Saxonum*. Fuerunt igitur ſine dubio Saxones, qui ad concilium venerunt, iique ex primoribus ſeu nobilitate, cum quibus etiam pacis leges iniiſſe Carolum, diſcimus ex *Poeta Anonymo* ſæpe citato Annalium de vita Caroli M. auctore ad An. 803. qui ultra omnes vitæ Carolinæ ſcriptores hanc pacificationem, locum ejus, & leges diſtinctè enumeravit, ipſe Saxo & peritus patriarum rerum.

Auguſtus pius ad ſedem Saltz nomine dictam
Venerat, huc omni Saxonum nobilitate
Collecta ſimul has pacis leges inierunt.

Quod ſi integram fidem meretur Diploma Eccleſiæ Oſnaburgenſi datum, (de quo ſupra) primorum Saxoniæ, qui *Potentes* illius *Regionis* vocantur, auctoritas etiam ex eo colligitur, quod quæ Eccleſiæ illi donat Imperator, dare ſe ſcribit, *potentum illius regionis collaudatione*, id eſt, conſenſu.

Interim Carolus in tota Saxonia non tantum omnia circa ſacra ordinavit, Idola & eorum fana deſtruxit, Eccleſias erexit, Monaſteria condidit, Epiſcopos inſtituit, deque miniſtrorum Dei ſuſtentatione conſtitutiones fecit: ſed etiam Civiles Magiſtratus Saxonibus dedit. Paucis id, ſed clare exponit, memoratus ſæpius Poeta:

Tunc ſub judicibus quos Rex imponeret ipſis
Legatisq; ſuis permiſſi legibus uti
Saxones patriis.

Ad morem ſcilicet Francorum, poſtquam una gens jam facta erant, regi Saxones voluit, per *Comites* ſcilicet, &

Legatos ſeu *Miſſos Regios*. Præter hos quidem ab *Eginbarto* memorantur Franci habuiſſe *Præfectos* ſuos, quorum tamen in Saxonia nullam fieri mentionem video, probabileque eſt Carolum, qui Ducibus iniqvus, Aquitanicumq; & Bajoaricum Ducatum, ſubſtitutis comitibus, ſuſtulerat, Præfectos hos, Ducibus ſimiles, Saxonibus non dediſſe, ut nec, illo vivente, Duces Saxoniæ memorantur.. Quales Comites fuerint, quod eorum officium, cum ex Francorum, tum Saxonum quoq; hiſtoria, ſatis ab aliis explicatum eſt: cur tamen quædam à me obſervata addam, cauſam habeo. Formulam ordinationis Comitis in Weſtfalia ab ipſo Carolo facti a. 788. quo *Trutmannum virum illuſtrem* conſtituit, allegant omnes, qui de Comitibus agunt, cum eo luculenter deſcribatur Comitis officium. Jubet enim Rex, ut *reſideat in curte ad campos in mallo publico ad univerſorum cauſas audiendas vel recta judicia terminanda*, utq; *advocatum omnium presbyterorum in tota Saxonia agat, ſuperq; vicarios & ſcabinos, quos ſub ſe babet, diligenter inquirat, & animadvertat, ita ut officia ſua ſedulo peragant* &c. Diſcimus autem ex eo, quoniam *Illuſtrem*, ſplendidiſſimo titulo, vocat, ex primaria nobilitate fuiſſe, niſi ad hoc ipſum noviter collatum munus & dignitatem titulo iſto reſpexerit Carolus. An autem ex Francica, an Saxonica nobilitate Trutmannus ille fuerit, incertum eſt. Nomen quidem Saxonicum eſſe videtur, & ſignificare Liebmann / priori illa voce etiam in nominibus aliis propriis *Drutmarus* ſive *Trutmarus*, & *Trutwin* occurrente: intuenti tamen mihi faciem Saxoniæ illo anno 788. quo inſtitutus hic comes, non videtur probabile, Carolum alicui ex Saxonibus toties rebellibus, & noviter factis Chriſtianis illam dignitatem, & imprimis advocatiam presbyterorum commiſiſſe. Deinde etiam in hoc diplomate id conſiderandum eſt, Trutmannum, quamvis *in tota Saxonia advocatus presbyterorum* conſtituatur,

Comitem tamen conſtitui tantum *in illa parte Saxoniæ*, ubi ſcilicet hæc acta ſunt, in villa Trutmanni & quæ ad illum pagum pertinent, cum certis pagis præfici Comites tum temporis uſitatum eſſet. Hanc autem Formulam, antiquiſſimum Saxoniæ monumentum, primus edidit, & inſeruit *Notis ſuis ad Widichindi Monachi Annal.* l. 2. Avus meus, quæ adeo eruditis placuit, ut ſæpius in libris ſuis extare, quidam etiam notis ſuis illuſtrare voluerint. Nuper in Gallia V. CL. *Stephanus Baluzius*, ſacræ pariter ac profanæ, veteris ac recentis Hiſtoriæ, ſi quisquam, peritiſſimus Præceptum hoc Carolinum dignum judicavit, quod Capitularibus Regum Francorum, duobus Tomis ſplendide à ſe editis, adjungeret: in notis tamen ad T. 2 p. 1039. cum Avus meus id adhuc ſupereſſe ſcripſerit, dubitat, de authenticone loquatur, an apographo? Teſtatus ſane eſt in *Vindiciis* ſuis *Billingianis* Avus meus, *ſupereſſe illud adhuc in Archivis inclytæ & Imperialis Tremoniæ in Weſtphalia*, ſed an authenticum, an apographum intelligat, quia non addit, æquè ignoro. Id tamen celare non poſſum, *Detmarum Mollerum* Tremonienſem, & *Cornelium Mevium* Eſſendienſem Geographicam & Hiſtoricam Deſcriptionem Comitatus & Urbis Tremonienſis integro volumine, patrio ſermone, elaboraſſe, (quæ penes me eſt MSta) in qua capite 8. diploma illud ipſum recitant, vocantque præſtans & indubitatum. An illi Tremoniæ ex Authentico deſcripſerint, neſcio: Avum meum id feciſſe, vix credo, cum alias facturus fuiſſet accuratius, & de Sigillo quoque aliquid moniturus. Quod ſi *Mullerus* & *Mevius* illud viderunt, etiam non ſatis deſcripſerunt accuratè. Variat nonnihil Avi mei à Mulleriano, non tantum in una alterave parvi momenti voce, ſed etiam in anno dati diplomatis, quem DCCLXXXIX. habet, cum Avus meus habeat

An-

An. DCCLXXXIIX. qui utique eſt regni Carolini XXI. Reliqui omnes, qui hoc diploma ediderunt, ab Avo meo id habuerunt, uno fortaſſis *Hermanno Stangefolio* excepto, qui in Annalibus Circuli Weſtphalici ante triginta annos editis illud recitat, nonnihil diverſum, annumque habet DCCLXXIX. ut eſt in Mulleriano, quamvis ab eo quoq; nonnihil variet, & minus correctè, ut totum illud *Stangefolii* opus, editum ſit. Sed redeo ad Comites, de quorum officio jam tum ſufficienter egerunt alii, ut *Cl. Conringius* Exerc. de Judiciis Germaniæ, quale ſcilicet id apud Francos fuerit, à quo non abiiſſe apud Saxones probabile eſt. Unum, haud ſcio an ab aliis notatum, addere cogor, ſcilicet à Carolo M. injunctum Sacerdotibus, ut an officium ſuum Comites faciant, conſiderent. Verba Caroli in *Capitulari primo de part. Saxoniæ cap. ult.* id docent his verbis: *Sed unusquisq; Comes in ſuo miniſterio placita & juſtitias faciat, & hoc à ſacerdotibus conſideretur, ne aliter faciat.* Ubi per ſacerdotes tamen fortaſſis non quilibet ex Clero, ſed Epiſcopi videntur intelligendi, capiuntq; hæc lucem ex iis, quæ habentur in *Legibus Wiſigothorum* l. 2. c. 3. Id quod tanto melius fieri potuit, quoniam plerumq; in eadem urbe, primaria ſcilicet Pagi, in qua Epiſcopus aut Archiepiſcopus reſidebant, Comites quoq; erant, ut docet *P. Lambecius* Origin. Hamburg. Part. 1. p. 23. Notandum tamen & hoc, quamvis Comites ipſi à Carolo, ut dictum eſt, conſtituti fuerint, tamen Scabinos, qui illis in jure dicendo adjuncti, & ſub ipſis erant, populi accedente conſenſu electos, unde in Capitularibus Legatis ſeu Miſſis Regiis, qui in Comites pariter & Scabinos inquirebant, præceptum legimus, ut inidoneis Scabinis remotis idoneos ſubſtituerent, *conſenſu populi.* De quorum Miſſorum reliquo officio, & auctoritate, à quibus ſcilicet non niſi ad ipſum Imperatoris palatium ſupererat provocatio,

 egregiè

egregiè jam tum à viris doctis res eſt expoſita. Notandum tamen & illud eſt, antequam hinc abeam, Epiſcopis à Carolo non ſacrorum tantum curam datam, ſed ſeculares quoq; cauſas ad eos juſſu Regio plurimas delatas, intentione fortaſſis bona, ut ſcilicet, *quæ in judicio captioſæ præſumptionis vincula promi non patiuntur, inveſtiget & promat ſacroſanctæ religionis auctoritas*, ut & in Capitul. CCLXXXI. lib. VI. collectionis *Benedicti Levitæ*, apud *Lindebrogium*.

Poſt obitum Caroli M. Saxones, qui fidelitatem Regi & filiis ejus, nec non etiam Francis, ut ſupra ex *Reginone* dixi, promiſerant, eandem quoq; ſervarunt, imo Ludovico Pio, mollius eas tractanti, magis obſtricti vixerunt, ut itidem jam tum expoſitum eſt. Diviſo dein inter Ludovici filios Francorum Imperio, cum Ludovico Regi, quicquid in Germania ad Rhenum usque Francis paruerat, obveniſſet, Saxonia quoq; omnis ſimul ceſſit, ideoque Ille *ſibi Saxones fidelitatis jure confirmavit*, ut loqvuntur *Annales Fuldenſes*. Fuit igitur primis Carolingorum temporibus quies aliqua in Saxonia, niſi, quod deinde à Slavis non Trans-Albiani tantum, ſed ab iis Albim transgreſſis reliqui quoq; Saxones multas injurias & invaſiones paterentur, eo eventu, ut etiam poſſeſſionem aliquam vicinarum terrarum arripuerint, nec unquam exſtirpari potuerint, & hodieq; in agro Lyneburgico Slavicæ originis gens lingua ſua ſe prodat. Nec minores clades intulerunt Normanni ſeu Dani, quorum ſub Carolo M. ſpiritus & minas ex jactabundis vocibus Gotefridi Regis apud *Eginhardum*, *Friſiam atq; Saxoniam haud aliter atq; ſuas provincias æſtimantis*, diſcere eſt. In Transalbiana Saxonia primariam civitatem Hamburgum An. 845. penitus vaſtarunt & exciderunt. Anno 867. Saxones ad Ebbekenſtorf, ubi Monaſterium Virginum ordines S. Benedicti,

dicti, occiſo Duce eorum Brunone, cum plurimis aliis, ingenti prælio fuderunt, quamvis rem nimis exaggeret *Crantzius*, & qui eum ſequntur. Scilicet Caroli poſteri, civilibus bellis, & alibi, ſatis occupati, &, ſi verum dicendum eſt, à virtute majorum ſuorum multum degeneres, Aquilonaris Saxoniæ parvam habebant curam, quæ tanto magis inde Slavorum Normannorumque injuriis patebat. Nec minus ab altera parte, ſeculi X. initio, Ungari Saxoniæ quoque moleſti erant, ut deinde dicam. Quando autem ita Reges parum curarunt Rempubl. & de finibus defendendis terriſque ſubjugatis tutandis non fuerunt ſolliciti, ipſi Primores patriam quomodocunque defendere & hoſtibus reſiſtere coacti fuerunt. Et hos etiam Ducum Saxoniæ titulum nactos, & majorem aliquam poteſtatem ſenſim ſibi tum arrogaſſe arbitror. Diſputatum quidem initio hujus ſeculi, occaſione ſatis celebri, in hac inferiore Saxonia fuit, an illa ad Ottonis uſque tempora immediate Regibus Germanicis paruerit, an vero ſuos Duces habuerit? Rectè autem tum, ut arbitror, Avus meus in Demonſtratione contra JCtos nonnullos ſuperioris Germaniæ in Saxonia parum verſatos, docuit, eam ſub Imperatoribus Francis ante Hermannum Billingum ſuos habuiſſe Duces, quem nunc non deſcribo, cum Demonſtratio ipſa legi mereatur, ſitque in omnium manibus, auctoritate publica ſæpius recuſa. Sub Carolo M. nullum Ducem invenio, ut ſupra dixi, dein tamen Anno DCCCLVI. Ludolphus Ducem Saxoniæ ſeſe ſcripſit ipſe in Tabulis Fundationum Monaſterii Brunteshuſani & Gandersheimenſis: creverunt autem mox magis auctoritate, ut hujus filium Ottonem non Saxonum tantum, ſed Francorum quoque populus ad ſummam imperii dignitatem vocaverit: quo licet id renuente, ſene ſcilicet & ætate fracto, filius tamen ejus Henricus, qui Auceps nominatur, Ducatum Saxoniæ poſt pa-

 trem

trem nactus, *libera poteſtate* primus eam rexit, quod tanquam ſingulare aliquid annotat *Widichindus* Monachus Corbejenſis, exſultans, quod tum temporis *Saxonia ex ſervitute facta ſit libera, & ex tributaria multarum gentium Domina.* Et revera tum cæpit caput attollere Saxonia, ſub Henrico modo dicto, ejusque filio Ottone M. Ducibus Saxoniæ pariter & Regibus Imperatoribusque. Non libera quidem fuit ab incurſibus, iisque gravibus; &, ut ad Hungaros, de quibus antea cæpi, revertar, illi vaſtata maxima Germaniæ parte in Saxoniæ quoq; interiora penetrarunt, & in Weſtfaliam pariter Oſtfaliamque, ab utroque tamen Henrico & Ottone tam gravibus præliis fuſi & ad internecionem usq; deleti ſunt, ut redire nunquam auſi, ceu alibi latius explicui. Nec minus ab altera parte contra Barbarorum irruptiones ſub his Regibus tuti manſerunt Saxones. Fuerat hactenus Eidora vetus Saxoniæ limes, ſed Henricus Auceps ulterius progreſſus apud *Schliaswich regni terminos poſuit, & ibi Marchionem conſtituit, & Saxonum coloniam habitare præcepit*, ut loquitur Adamus Bremenſis, cumque eo mortuo Marchionem illum trucidaſſent, & omnem Saxonum coloniam funditus extinxiſſent, Otto terminos Danorum apud Schliaswich olim poſitos transgreſſus eſt, & in ipſam Cimbricam Cherſoneſum progreſſus, fuſo à Saxonibus Haraldo, Chriſtianitatis leges ſuſcipere eum fecit, Jutiaque in tres Epiſcopatus diviſa, eos Hammenburgenſi Epiſcopatui ſubjecit, & Archiepiſcopos dedit, ut iſta iterum narrat *Adamus*, teſtaturque diploma ipſum, editum ab *Erpoldo Lindenbrogio* & *P. Lambec.* part. 1. Rer. Hamb p. 141. ubi tamen pro An. 965. malè editum eſt 865. Ludovicus Pius jam dum quidem Archiepiſcopatum Hamburgenſem inſtituerat, eique omnem fere Septentrionem ſubjecerat, ſacro tamen potius, & tum inter Chriſtianitatis initia admiſſo inſtituto, non

quod Imperii ſui eosdem cum illo Archiepiſcopatu limites eſſe exiſtimaret. Otto vero non tantum illos in Jutia noviter inſtitutos Epiſcopatus Hamburgenſi Metropolitano ſubjecit, ſed etiam, ut verba ipſa Diplomatis habent, *quicquid proprietatis in regno vel marca Danorum ad Eccleſias in honorem Dei conſtructas vel adbuc pertinere videtur vel futurum acquiratur, ab omni cenſu vel ſervitio ſui juris abſolvit, ut & Epiſcopis præſcriptarum Eccleſiarum absq; ulla Comitis vel alicujus Fiſci ſui exactoris infeſtatione ſerviant & ſuccumbant*, & mox, *ſervos & colonos in iisdem proprietatibus habitantes nulli niſi iisdem Epiſcopis ſervituros ab omni etiam ſui juris ſervitio abſolvit*: ex quibus Jura in Daniam, quæ tum temporis Otto habuit, ſatis pateſcunt, illuſtrantq; ea, quæ de tota hac re ex idoneis ſcriptoribus differunt *Conringius* libro primo de finibus Imperii. Interim ſub Ottonibus novam plane faciem Saxonia accepit, ut dignam ſe illa felicitate oſtenderet, quâ per Saxoniæ Duces Imperii Romani ἀξίωμα nacta eſt Germania, ut

— quemcunq; ſibi Germania Regem
Præficit, hunc dives ſubmiſſo vertice Roma
Suſcipiat, verſoq; regat Tiberim ordine Rhenus, ut inquit Elector Moguntinus apud *Guntherum* in Ligurin. l. 1.

Hoc tempore igitur Urbes fundari, excoli & muniri, & commercia frequentari cæperunt in Saxonia, cui rei pertexendæ Henricus Auceps novem annorum inducias ab Hungaris impetraverat, Otto vero Magnus tantò magis illi par fuit, quo felicius illos omnes, cæſos & fugatos, à limitibus Saxoniæ Imperiiq; removit. Henricus Pater ex agrariis militibus nonum quemq; eligens in urbibus habitari fecit, conciliaq; & conventus & convivia in urbibus celebrari voluit, illisque extruendis operam dedit, & muniendis, pacis tempore ea apparaturus, ad quæ neceſſi-

neceſſitas hoſtibus ingruentibus cogat: quæ omnia ſcriptor illorum temporum *Witichindus* Monachus Corbejenſis, & ex eo alii, narrant. Vocatur idcirco Theſeus Germanicus; quamvis magna ſit diſparitas, & ſi, non obiter de eo aliquid referentes, ſed *Thucydidem* l. 2. & *Strabonem* l. IX. legas, Theſeus ille Græcus, alio inſtituto, alio conſilio, non tam homines ex agris Atticæ in Urbes, quam ex reliquis oppidis in unam urbem coëgerit, & ex undecim ſeu duodecim Atticæ urbibus unam effecerit, Athenarum, ἄςυ dictam. Quicquid autem hac de re ſit, gloriam certè inſignem Henricus eo nomine reportavit: à quo etiam extructas urbes Miſnam, Quedelenburgum, & Mersburgum refert *Dithmarus* Mersburgenſis lib. I. Uti vero per illa in Urbibus commercia ditior facta Saxonia, ita hoc eodem tempore naturæ grandi quodam, ſed hactenus latente, beneficio magis ditata eſt, venis auri & argenti repertis: de quibus cum alias pluribus data opera egerim, nihil nunc addo, monuiſſe aliquid contentus, cum ad Saxoniæ hoc tempore florentiſſimæ factæ decus id omnino pertineat. Non parum vero his temporibus Ducum poteſtas adaucta Saxoniæ contulit, quamvis nunc non diſputem, totine Imperio id ſalutare fuerit, nec ne. In Oſtfalia, ſeu Orientali Saxonia, Hermannus Billingius, ex nobilitate Saxonica, per Ottonem I. conſtitutus fuerat Dux, cujus poſteri ad uſque Magnum ducem ejus partes, quæ Vandalis adjacent, diligentiſſime tuiti ſunt. Et vero poſtquam ad Suevicos Principes à Saxonicis Imperialis apex devenit, tanto majores ſumere in Saxonia ſpiritus cæperunt, Regiamque auctoritatem deſpicere, & ubique libertatem prætendere. Id quod ſub Henrico IV. ætatis nondum maturæ, in nervum erupit. Qui cum dein potentiam illorum imminuere, extructiſque in Hartizcis montibus caſtellis libertatem tollere vellet, graviſſimo bello

bello Saxonico implicitus fuit, quando Otto dux Bajoariæ, è Saxonia tamen oriundus, & illo ducatu à Cæſare privatus, Magnum, Saxoniæ ducem, ſibi aſſociavit. Longa eſt injuria, longæ ambages, nec omnia hîc poſſunt referri. Subruere & vaſtare illam totam, infeſtiſſimus Saxoniæ, nitebatur Henricus, inito etiam cum Danis, Saxonum inimicis, ſecreto fœdere, & inſtitutis colloquiis, non tamen finem ſuum obtinere potuit, alibique per pontificem ſatis negotii inveniens, deſerere eam coactus eſt, cum tamen interea Urbs Goslaria, & vicinia, per Cæſaris in his terris moram, augmenta quædam cepiſſet. Quam libertatem Saxoniæ Principes etiam poſtea contra Henricum V. maſculè defenderunt, felici prælio ad Welpheſholtz, ope imprimis Lotharii Ducis, qui poſtea ad Imperii culmen evectus, cum alibi Germaniam, tum Saxoniam quoque pacavit, & fines ejus contra Slavos tutatus eſt, auctoritate Cæſarea in Daniam usque extenſa. Notandum vero eſt, ſeculo illo undecimo ſub Henrico IV. Obotritos, Slavicam gentem, aliquamdiu totam Nordalbingiam ſub ſuo habuiſſe imperio, ut narrat *Adamus* l. 4. c. 31. cujus jugi perteſæ, plusquam ſexcentæ familiæ in Hartzicos montes migrarunt, ut ex *Helmoldi* l. 1. c. 26. diſcimus. Sed redeo ad Lotharium: de quo, maximisq; ejus in totam Germaniam meritis alibi pluribus agam. Nunc id ſilentio præterire nequeo, illum, magno Saxoniæ bono, Henricum Bavariæ Ducem, data ei in matrimonium filia Richenſe, in has terras vocaſſe, & Ducatum Saxoniæ ei contuliſſe: quo ipſo potentiſſima Domus, quæ nunc Brunſvico-Lynæburgica audit, variis licet dein fatis jactata, in hac Saxonia primum fundata eſt. Cum vero jam tum vivente Lothario æmulatio inter ipſum & Svevos Principes Fridericum, ejusq; fratrem Conradum, (qui deinde ad Regni Germanici culmen pervenit) eſſet, gliſcere cæpit

illa quam maximè, quando Henricus impedire Conradi electionem, & negare aliquamdiu inſignia imperii, quæ à Sacero relicta penes ſe habebat, auſus eſt. Deinde igitur à Conrado, jam Rege, in Goslarienſibus Comitiis Ducatus Saxoniæ ipſi abjudicatus eſt, & Alberto Urſo datus, cui infortunio non minus aliud, Ducatus ſcilicet Bajoarici ſeu Norici amiſſio, deficientibus ab eo fidelibus ejus, ſupervenire videbatur, quando ille magno animo Saxoniam ingreſſus novum ſibi ſubſtitutum Ducem Albertum occupatis urbibus totaque Saxonia ejecit, ejusque Ducatus ſpe privavit, non minora tentarurus in Bavaria & contra Conradum Regem, niſi eo abeuntem mors præveniſſet. Et hic Ducatus Saxoniæ ad filium ejus Henricum, puerum adhuc, Leonem dein dictum, integer cura aviæ maternæ & procerum pervenit, quamvis Ducatus Noricus, non niſi magna ejus parte, Auſtria, privatus, à Friderico I. Cæſare dein redditus ſit. Sumpſit autem ſub hoc Henrico Leone Ducatus Saxoniæ maxima incrementa, imprimis Septentrionem verſus ſuper Slavos, validam & truculentam gentem, qui non tantum ad littora maris Balthici extenſi erant, ſed etiam multa ad Havelam & Albim loca, ubi nunc Epiſcopatus Brandenburgenſis & Havelbergenſis, à Saxonibus poſſeſſa, illis exciſis & fugatis, incolebant ad usque Henrici Leonis tempora, ut notat *Helmoldus* l. 1. c. 88. Jam tum quidem Lotharius Imperator imperium ſuum aliquo modo ad Slavos extenderat, & religionis Chriſtianæ ſemina inter illos ſparſerat, cum tamen deinde infelici de Ducatu Saxoniæ diſſidio inter Henricum Superbum & Albertum exorto, fractæ per civiles motus vires externis hoſtibus pares non eſſent, graviſſimos in Saxones Transalbinos impetus fecerunt Slavi, qui etiam fauſtis ſucceſſibus proceſſiſſent, niſi Henricus Comes de Badewide eos compeſcuiſſet, & in ipſis ſedibus ſuis attriviſſet. Conſervavit nobis

illius

illius rei memoriam modo citatus *Helmoldus chron. Slavor.* l. I. c. 56. & 57. illasque Slavorum Wagirorum terras ita ferro & igne vaſtatas & exciſas memorat, ut deinde deſerta loca inveniens Comes Adolphus in omnes regiones Flandriam, Hollandiam, Trajectum, Weſtfaliam, Freſiam miſerit, & novos incolas advocarit, qui etiam cum familiis & facultatibus ſuis venerunt, & unà cùm Holſatis Wagirenſem provinciam hominum multitudine impleverunt, mox tamen vehementi Slavorum incurſione incendiis, cædibus & rapinis & captivitate iterum vaſtati. Sub ſecuta eſt quidem expeditio Cruce ſignatorum, ex parte in Slavos ſuſcepta, per Epiſcopos Saxoniæ alioſque principes, inter quos ipſe Henricus Leo adoleſcens, ſine fructu tamen ullo. At Henricus Leo tandem dominari in univerſa terra Slavorum cæpit, plurimis expeditionibus victor, quas *Helmoldus* l. 1. c. 68. 84. 86. 87. 92. & l. 2. c. 5. narrat, Obotritorum terra & finitimis regionibus ita in ſolitudinem redactis, ut *Slavi non auſi fuerint mutire præ formidine Ducis.* Floruit igitur ſub hoc Duce Saxonia, hoſtibus domitis, Epiſcopatibus erectis, Cœnobiis fundatis, urbibus conditis: propriam tamen illi eſſe felicitatem noluerunt fata. Fuit Henricus Leo (ut verbis hîc potius *Johannis Aventini* ex lib. VI. Annal. Bajorum utar quâm meis,) *potentiſſimus haud dubiè omnium Europæ principum ſecundum Cæſarem atq; Reges Princeps, ut qui à Sinu pene Hadriatico ad Sinum Codanum Oceanumq; Germanicum Bojis, Svevis, Rhætis, Vindelicis, Noricis, Chaucis dominabatur.* Ad quam invidia tangi videbatur non tam ipſe Imperator, quam ſacri ordinis Principes vicini, quibus gravior fuerat ſui juris & auctoritatis ſtudioſus, & reliqui, penes quos potentia & in imperio ſpes imperii. Illum generis nobilitate, opibus, duobusque ampliſſimis Ducatibus magnum, vi mentis & virtute bellica majorem ad vaſtas ſpes accingi, nec poſſe eſſe occultum,

quid poſt tantam potentiam ſuperſit. Primi contra illum conjurarunt Archiepiſcopus Colonienſis, & Epiſcopi Magdeburgenſis, Hildesheimenſis, & Halberſtadenſis, quibus ſe junxit ex veteri & à parente Ducis derivato odio Marchio Albertus & Provincialis Thuringiæ Comes Ludovicus, erupitq; diſſidiũ illud, quod ſub doloſo cinere diu latuerat, in apertam belli flam̃am, abſente in Italia Friderico I. Nec tamen ſibi eripere patiebatur Leo, quæ juſto titulo poſſidebat, oſtentabatq; rictus & ungves inimicis ſuis, non minore fortitudine defendere ſua paratus, quàm ipſe & majores ſui acquiſiverant. Id quod Halberſtadenſis Epiſcopus Ulricus imprimis incendio urbis & terrarum ſuarum expertus eſt. Poſtquam tamen Cæſar in Germaniam rediit, & ipſe jam alieniore ab Henrico animo, ſuggeſtione Principum ſtimulatus, in Comitiis Geilnhuſæ celebratis, de conſenſu Principum & optimatum Imperii, utroque Ducatu Saxoniæ & Bavariæ Henricum privavit, ſimulque Palatini Rheni & Saxoniæ dignitate & omnibus feudis, quæ vel ab Imperio, vel Archiepiſcopis vel Epiſcopis tenuit, exuit. Bavariæ ſeu Noricum Ducatum accepit Otto Comes de Schira: de quo hoc loco agere non licet. Saxoniæ magnus ille Ducatus diviſus tum eſt. Titulum quidem, cum Ducatu tamen minore, accepit Bernhardus Aſcanius, filius Marchionis Alberti, non frater Ottonis Comitis de Schira, ut gravi errore, licet ad Chronica Schirenſia provocet, ſcribit *Andreas Presbyter* Chronico Bavariæ p. 1180. Weſtphalicæ Saxoniæ pars altera ceſſit Philippo Colonienſi Archiepiſcopo cum titulo Ducatus Weſtfaliæ & Angariæ, ſuperſtitibus hodieque non tantum Friderici I. ſed etiam Philippi & Ottonis IV. tabulis, quibus ea, quæ dixi data & confirmata ſunt, quæ accuratè legi merentur, hîc à me nunc non explicandæ. Quamvis autem non acquieſceret Leo, ſed hoſtes ſuos in Weſtfalia Thuringia & Wagria fortiter perſequeretur,

queretur, & captis illorum quibuſdam probe ſe ulciſceretur, tamen deinde potentiæ Imperatoris in Saxoniam venientis cedere, & triennii exilium ſubire coactus eſt. Cum tamen non feudalia tantum bona plurima ab Imperio, Archiepiſcopis, Epiſcopis & majoribus prælatis, ſed etiam multa patrimonialia, *propria*, Eigene/ *& de quibus nemini tenebatur* (verba ipſius Imperatoris Friderici II. in *tabulis Erectionis Ducatus*) non iis tantum in locis, quæ nunc Ducatu Brunſvicenſi & Lyneburgenſi dicto comprehenduntur, ſed in Thuringia quoque & Trans-Albina Saxonia & alibi (ut prolixius aliàs ſingulari opera oſtendam) habuiſſet, ſeparata illa ſunt, & ereptis licet feudalibus, patrimonialia ut ſarta tecta conſervarentur, promiſſum eſt, quibus etiam Cæſar præfectos conſtituit, abſente Henrico eorum rationem & curam habituros. Utinam autem illi bona fide egiſſent, vel non patrimonium quoque Leonis invaſiſſent vicini æmuli & hoſtes! certè magna ex parte violenter à multis id occupatum ſcribit diſertè *Arnoldus Lubecenſis* Chronic. l. 2. c. 12. Illa igitur de cauſa redux ab exilio Henricus, querelas apud Imperatorem inſtituit, à quo non promiſſis tantum inanibus lactatus, ſed etiam, cum omnia, quæ ſibi interea adverſa accidiſſent, Henrici, licet abſentis, conſiliis & inſidiis tribueret, iterum in exilium ire compulſus eſt. Abſente tamen deinde Imperatore, cum ab illo nullam opem ſperare poſſet Henricus, patrimonium vero ſuum à vicinis, abſentia Imperatoris in rem ſuam abutentis, magis magisque diripi videret, ipſe ad ſua recuperanda non animum tantum, ſed arma quoque, cum filio Henrico ex Anglia redux, admovit, recuperatis felici ſucceſſu nonnullis, & punitis iis, qui dedere ſeſe recuſabant. Mox tamen fortuna eum deſeruit, cumq; Friderici Imp. ſucceſſor Henricus VI. ipſi patrimoniali Ducis Urbi Brunſvico inhiaret, & ad eum compeſcendum omnem operam adhiberet, qui-

eſcere, & filios dare obſides coactus eſt, poſt aliquot annos in illa urbe ſua mortuus. His igitur temporibus, imperante Friderico I. alium planè à priori habitum induit Saxonia. Nam ab ea Weſtphalia & Angaria avulſa & proprio Ducatu inſignita, exuviis Leonis Archiepiſcopo Colonienſi, & quibusdam etiam vicinis Epiſcopis Oſnabrugenſi, Paderbornenſi & Mindenſi cedentibus. Dux Saxoniæ novus priori potentia impar, cum Tractum Wittebergenſem ad Albim, ubi Sorabi quondam, etiam accepiſſet, Wittebergæ aulæ ſedem conſtituit, à Comitibus vero non pari veneratione & ſubjectione cultus eſt. Merentur legi, quæ de Comitibus ſub Duce Bernhardo diſtincte nobis narrat *Arnoldus* l. 3. Chron. Slav. c. 1. Venit Dux cum fratre ſuo Alberto Marchione Erteneburgum (hodie *Atlenburg* ab hac ripa Albis) præcepitque, ut omnes nobiles terræ, Comes Holſatiæ, Comes de Racesburg, Comes de Dannenberg, Comes de Luchow & Comes de Sverin, receptis ab eo beneficiis ſuis, dominium facerent, & fidelitatem per ſacramenta confirmarent. Venerunt etiam reliqui, ſed Adolphus Holſatiæ Comes ſe non ſtitit, quamvis antea ſub Ducibus Saxoniæ & noviſſimè ſub Henrico Leone fuiſſet: id quod male habuit Ducem, exortæque ſunt inde diſcordiæ, conjuraruntque cum Adolpho reliqui Comites, etiam à Bernhardo offenſi, & terras Ducis hoſtiliter intrârunt, rebus tandem Imperatoris auctoritate compoſitis, ut citato loco exponit *Arnoldus*. Arbitror autem tum jugum Ducis Saxoniæ excuſſiſſe & ab Imperio feudum ſuum cæpiſſe recognoſcere Comitem Holſatiæ, quod etiam exiſtimat *Cypræus* in Hiſtoria Eccleſiaſt. Sleſvic. & Holſat. c. 28. p. 206. Uti etiam Adolphum illum III. Comitiis Imperii ſæpe interfuiſſe, & in Diplomatibus Auguſtalibus teſtem nominari, pridem docuit *Avus meus Not. ad Herm. Lerbekii Chron.* Comit. Schaumb. p. 59. edit. prim. & deinde *à Sacro*

Roma-

Romano Imperio dictos Comitatus recognitos & Comitatuum poſſeſſores inveſtitos fuiſſe, diſcimus ex Tabulis Friderici III. Imperatoris, quibus An. 1474. Comitatus Holſatiæ & Stormariæ in Ducatum, ut hodie ſunt, mutavit. Raceburgenſis Comitatus manſit interim ſub Duce Saxoniæ, & tandem, extincta illa Comitum familia in Bernhardo ejusque filio parvulo rediit tanquam beneficium vacans ad Saxoniæ Duces, qui hodieque illum habent, uti claré exponit *Crantzius* Vandaliæ l. VI. c. 31. Slavorum Obotritorum Domini, poſtquam Regia dignitate orbati ſunt, Saxoniæ Ducem comiter quidem reſpexerunt, ut ex Hiſtoria Henrici Leonis clarum eſt, illo tamen exauctorato etiam ipſi ſe ſubducere cæperunt. De Slavorum regione audiamus prius *Helmoldum*, qui Saxonicam factam notat, iis verbis, quæ merentur integra legi: *Omnis Slavorum regio incipiens ab Egdora (quæ eſt limes regni Danorum) & extenditur, inter mare Balthicum & Albiam per longiſſimos tractus usq; ad Sverin olim inſidiis horrida & pene deſerta nunc dante Deo tota redacta eſt velut in unam Saxonum Coloniam & inſtruuntur illic civitates & oppida.* Cæperunt etiam Chriſtianismum amplecti, &, quamvis Pribislai, qui ultimus Regio nomine uſus eſt, nepos Henricus tres haberet filios, & hinc tres exſurgerent lineæ, tamen primogenitus Johannes ſolus ſtirpem produxit, quæ adhuc in Ducibus Meclenburgenſibus floret, ex quibus *Albertus* & *Johannes* primi à Carolo IV. An. 1349. maximè honorifico diplomate in Ducum Ordinem relati, dignitatem ad poſteros transmiſerunt. In Pomerania non minus magna facta eſt mutatio. Nam, quamvis ejus Duces Saxoniæ Duci poſt graviſſima bella & exciſam pene gentem, tributo obnoxii eſſent, Caſimirusq; & Boguslaus ſub Henrico Leone, *Danicarum virium metu regnum ſuum huc usq; liberum Saxonici muneris feciſſent*, ut ipſis exprobrat *Saxo Grammaticus* l. 14. p. 337. tamen exauctorato

auctorato illo itidem ſeſe ſubtraxerunt, & ſe *imperio Romano, non jure gladii coacti, aut vi, vel metu, ſed ſolum ſpontanea ſubjectione dediderunt*, ut loquuntur Status Pomeraniæ in litteris ſupplicibus ad Ducem ſuum, quæ extant in libello, dreyjährige Drangſaal des Hertzogthums Pommern. *Saxo Grammaticus* l. 15. p. 370. ſcribit Fridericum Imperatorem eos promiſſione potentiæ & claritatis incrementorum, ſubornata legatione, in ſuas partes pertraxiſſe, cum ab illis ſibi metueret, & hos dictos Bogislaum & Caſimirum datis ſolenniter Aquilis, id eſt, vexillo Imperiali, in Duces Imperii ſublimaſſe. Exciſi autem tum ſunt Slavi in Occidentali Pomerania cumque aliis gentibus Saxones in deſertas terras vocati, cumque lingua illorum mores quoque aſſumpti, ut pluribus oſtendit doctiſſimus *Chriſtophorus Hartknoch*, in diſſertat: de Origin. Pomeran. p. 51. & 71. ubi etiam oſtendit non paucas eorum nobiles familias ex Saxonia & Ducatu Brunſvicenſi veniſſe, quod de Blanckenburgiis, Platis, Munchuſiis, de Leina, non videtur improbabile. Tum quoque Imperator Fridericus Urbem Lubecam, de qua proſcripto, cui hactenus paruerat, Henrico Leone, inter Bernhardum Ducem Saxoniæ & Adolphum Comitem Holſatiæ, lites ortæ erant, *propter utilitatem tributorum, vel quia in fine imperii ſita eſt, ſibi retinuit*, ut loquitur *Arnoldus* l. 3. c. 4. Et hîc affulgere primum libertatis & Imperialis gratiæ ſplendor Urbi illi cæpit, quo deinde ultra omnes alias in illo Balthici maris littore effulſit, quamvis inter initia graviter offuſcatus fuerit, ut mox dicam. Minores mutationes, quas hoc tempore Saxonia paſſa eſt, non addo, cum potiſſimæ jam enumeratæ ſint, &, Ducatu illo divulſo, non potuerint non aliæ atque aliæ ſenſim ſubſequi.

Quamvis autem ita Ducatu utroque Bavariæ & Saxoniæ eſſet privatus Leo, tamen Ducatus Saxoniæ titulum

non dimiſerunt, vel ipſe, vel filius ejus Henricus, qui Comitis Palatini ad Rhenum filia ducta Palatinus Comes factus, hoc nomine vulgo vocatur: id enim ex pluribus eorum tabulis & ſigillis oſtendere poſſum. Poſt quas quidem Henrici nuptias, reconciliato, qui eas quam maximè impedire conabatur, Henrico Imperatore, *novam lucem eſſe in Saxonia exortam, pacis videlicet joconditatem, ceſſaſſe terra mariq; deprædationes, ingemuiſſe latrones, patuiſſe portas civitatum, & caſtrorum ceſſaſſe excubias*, gratulabundus exclamat *Arnoldus Lubec.* l. 4. c. 20. Non tamen illa quies diu duravit. Mortuis enim & Henrico Leone, & Henrico VI. Imperatore, cum Otto, Henrici Leonis filius, à nonnullis Principibus Coloniæ ad Rhenum Rex electus, Philippus vero Svevus, Henrici VI. frater ab aliis Ottoni oppoſitus eſſet, non tantum paſſim Germaniæ, ſed Saxoniæ quoque, graviſſima tempeſtas incubuit, cum non tantum in Weſtfalia, ſed Oſtfalia quoque, ſeu Saxonia noſtra, nonnulli à partibus Philippi ſtarent, ut Goslaria aliæque urbes, quibus ut Brunſvicum jungeret, mediam Saxoniam ingreſſus eſt Philippus, ſine ſucceſſu quidem, Brunſviga non tantum defenſa, ſed Goslaria etiam capta & direpta. Cum tamen deinde alii Principes Ottonem deſererent, & Pontifex Romanus quoque Philippo favere inciperet, gravioribus adhuc turbis commota fuiſſet Saxonia, niſi morte violenta conatus ejus intercepti fuiſſent. Jam tum vero à pluribus annis Saxonia Nordalbingica graviter erat afflicta per Canutum Regem Daniæ ejusque fratrem Waldemarum, qui initio ſeculi XIII Comitem Holſatiæ Adolphum invaſerat, Hamburgo occupata, & Lubeca quoque, ſalvis relictis privilegiis legibusque, deditione recepta, Comite ipſo capto, & in Daniam abducto. Sanè, poſtquam fratre Canuto mortuo ad regni culmen pervenit Waldemarus, *Nordalbingiam* titulis ſuis adjecit, ejusq;

ſe *Dominum* ſalutari, ſolemni in Urbem Lubecam ingreſſu, fecit, ut diſertè ſcribit *Arnoldus Lubecenſis* l. VI. c. 17. Addit *Pontanus* hiſtor. Danic. l. VI. Lubecenſes illi ut *Wagriæ & Nordalbingiæ Domino* ſacramentum dixiſſe. Mox tamen vertit fortuna vices, & non tantum Waldemarus ipſe ab Henrico Comite Sverinenſe captus; ut libertatem impetraret, jurare coactus eſt, ſe nunquam in Nordalbingiam rediturum; quæ cum deinde, Lubecenſibus etiam jugum Danicum excutientibus, inſuper habuiſſet, cruenta pugna penitus victus & proſtratus eſt, Archiepiſcopo Bremenſi, Duce Saxoniæ, & vicinis contra eum conjurantibus, & ſociato milite ſuo bellum illud gerentibus. Commiſſum eſt prælium 22. Julii, die Mariæ Magdalenæ ſacro A. 1227. apud *Bornbovedam, villam Holſatiæ parochialem*, uti eam appellat *Hermannus Lerbeke in Chronico Schaumb.* de qua multa egregie diſſerit *P. Lambecius* Rer. Hamburg. t. 2. n. 37. Fuit vero illa pugna planè fatalis his terris, & quicquid dein Dani pro recuperandis amisſis tentarunt, intra conatus ſtetit, Lubeca vero à Friderico II. Imp. ſplendido privilegio inter Imperii urbes recepta eſt, locumq; illum in hunc usque diem præclarè tuetur. Contigit verò circa hæc tempora non levis etiam, & ad pacem tranquillitatemq; Saxoniæ plurimum conferens mutatio per *Ottonem*, Henrici Leonis Nepotem, quem *Puerum* Annales vocant, (quia mortuo Wilhelmo Patre, cum unicus hæres avitorum bonorum poſſesſionem arripere deberet, puer adhuc erat) non *Purum*, **den Reinen** / uti in Tabulis Genealogicis Latinè & Germanicè editis vir quidam inſignis nominat. Illi quidem, poſtquam adoleverat, durum videbatur non tantum feudalibus dignitatibus & bonis, quibus majores ipſius gaviſi, ſed etiam allodialibus, quæ ſummo jure ſibi deberentur, privari, ideoq; ope Marchionum Brandenburgenſium Johannis & Ottonis, quorum ſororem Mechtildim matrimonio

ſibi

ſibi copularat, urbem Brunſvigam recepit, & ex faucibus Imperatoris Friderici II. eripuit. Dein tamen patrimonio ſuo Brunſvicenſi & Lyneburgenſi contentus vixit, nec ab aliis, ipſo etiam Pontifice, inſtigatus, ut contra Cæſarem aliquid moliretur, induci potuit, favoremque Principum Germaniæ, ſangvinis vinculo & affinitate magnam partem ſibi conjunctorum, meruit. Unde factum eſt, ut, cum Fridericus II. Imperator pro reformatione totius terræ ſtatus, (ut Annalium verbis loquar) Curiam generalem Moguntiæ Anno 1235. indixiſſet, Principes de tranquillanda etiam Saxonia & Ottone elevando ſolliciti, Imperatori & Ottoni perſvaderent, ut hic ſuas patrimoniales & nulli obnoxias terras & caſtra Cæſari reſignaret, ille vero, non minus ac ſuum in urbem Brunſvigam ceſſionis factæ titulo prætenſum Jus, in Imperium transferret, omnia uniret, & inde Ducatum crearet, Ducatumque illum novum, de Brunſvic & Lyneburg, in feudum Imperii Ottoni concederet, ad filios & filias hæreditarie devolvendum. Et ita hoc anno 1235. menſe Auguſto novus Ducatus Brunſvicenſis & Lynæburgenſis in Saxonia cæpit, cujus Natalem diem, ut omnibus Annalibus adſcribi, quod illo Romonum Imperium novo Principe auxiſſet (ut *Godefridus Monachus ad S. Panthaleonem* in ſuo Chronico notat) juſſit Imperator, ita nos ſacrum habere debemus, qui Saxoniæ pacem attulit, & Illos Principes, novo iterum Ducali titulo, in ea firmavit, qui ad hunc usque diem Patriæ honorem, gloriam, & libertatem, contra apertos & occultos hoſtes, maſcule & prudenter tuiti ſunt. Ipſas Erectionis Ducatus Cæſareas tabulas ex Hiſtoricis illuſtratas edidit Avus meus.

Ex eo tempore in Saxonia Inferiore major quies; interdum tamen inter Principes obortæ turbæ, nec inter illos tantum, ſed Dynaſtas quoque, Nobiles & Civitates, eo pene, concidente Cæſarum auctoritate, reb⁹ devenientibus, ut

 atro-

latrocinari non infame & punibile, ſed glorioſum & licitum eſſet, cùm aliis idcirco ſui defendendi cauſa, tùm Urbibus quoque propter commercia, fœdera inter ſeſe neceſſitate urgente facientibus; quæ deinde non ibi ſteterunt, ubi ceperunt, ſed ad aliorum non minus oppreſſionem, quam ſuam defenſionem adhibita fuerunt. Id tamen, non Saxoniæ proprium, ſed Germaniæ commune malum, à me hic latius non exponetur, cum deinde etiam ceſſarit, ex quo majoris potentiæ & auctoritatis Principes, compeſcendis turbis, tam pares quàm invigilantes, Imperatoria dignitate aucti fuerunt. Unius tamen mutationis, quæ circa Ducatum Lyneburgicum contigit, mentio facienda eſt. Cum ſcilicet A. 1354. Dux Otto, & deinge 1368 vel 1369. Dux Wilhelmus mortui eſſent, ſine hæredibus maſculis, Duces Saxoniæ ad ſe Ducatum Lyneburgicum pertinere judicarunt, & occupavit illum nomine Matris Eliſabethæ, Wilhelmi filiæ, Albertus Dux Saxoniæ & Angariæ, (cui Carolus IV Imp. favens Ducatum Lynæburgicum in feudum contulit, excluſo Magno Torquato legitimo hærede) ducta dein Magni vidua, cui ſuccedens Wenceslaus Frater non minus Torquati liberis fuit infeſtus. Quamvis autem poſſeſſionem Ducatus magnam partem adepti eſſent Saxoniæ Duces, & in titulis ſuis Duces ſe Lyneburgenſes etiam ſcriberent, & illorum inſigne ſuis adderent, tamen Magni Torquati filii Fridericus & Henricus memorabili illo ad Winſenam prælio A. 1388 victores cæſo Wenceslao ſua recuperarunt, & deinde, cum modo dicti Ducis Saxoniæ filias Annam & Margaretam, hanc Bernhardus, illam frater ejus memoratus Fridericus, ambo Magni Torquati filii, uxores duxiſſent, omnia feliciter compoſita ſunt, & ad veros ſuos Dominos Ducatus Lynæburgicus rediit. Quod ſi per quorundam æmulorum & invidorum ſcelus licuiſſet, in hoc Friderico, belli & pacis gloria inclyto Prin-

cipe,

cipe, recuperaſſet Imperatoriam dignitatem Saxonia, & antiquiſſima Brunſvicenſis domus, cum in Regem Germaniæ Francofurti jam tum electus eſſet A. 1400. Fridericus, & inde redux in nefarias parricidarum manus incideret in Haſſia ad pagum Engelis in Frislaria: uti alias pleniùs expoſui, hîc ſaltem indico. Neque tamen etiam ſilentio præterire poſſum, quæ poſt ſeptendecim annos in Marchia, & non diu poſt in Miſnia acciderunt, Saxonicis rebus magnam inductura mutationem. Cum enim antehac Marchia alios habuiſſet Dominos, & tandem ad Sigiſmundum Imperatorem perveniſſet, ille Fridericum VI. Burggravium Norimbergenſem, ex antiqua Comitum de Zolleren familia oriundum, optimè de ſe & imperio meritum, primo ſuum in Marchia *Proviſorem Supremum*, ut *Paulus Langius* Citicenſis ad A. 1412 nominat, id eſt, locum tenentem, Vicarium, more loquendi tum uſitato, conſtituit, dein ipſam accepta magna pecuniæ ſumma cum dignitate Electorali conſentientibus Principibus ei contulit, inveſtitura ſolemniter in Concilio Conſtantienſi A. 1417. d. 18. Aprilis peracta. Penes hujus enim Friderici hæredes maſculos manſit in hunc usque diem terrarum illarum poſſeſſio & dignitas, indeque ortus incomparabilis Heros *Fridericus Wilhelmus* cum alibi avitis acquiſitisque noviter terris, tum in hac Saxonia hodie latè dominatur. Qui etiam hactenus fuerant Miſniæ Marchiones & Thuringiæ Landgravii in Friderico I. Bellicoſo dicto Anno 1423, poſt mortem Alberti III. Electoris ex Aſcania ſtirpe ultimi, Electoratum Saxoniæ à Sigiſmundo Cæſare, Presburgi in Hungaria acceperunt, cujus poſteritas per tot Heroes ſago togaque inclytos ad modernum JOH. GEORGIUM Ducem Saxoniæ & Electorem, ipſi Orienti terribilem, devenit. Quæ alias illo XV ſeculo contigerunt, ſeorſim hoc loco memorati non merentur, niſi quod novos duos Duces, Meclen-

burgicum & Holſaticum Saxonia accepit, ut jam ſupra memoravi. Fædus tamen etiam Hanſeaticum, quod hoc tempore quàm maximè floruit, ad Hiſtoriam Saxoniæ pertinet, quoniam à fædere inter duas Urbes Saxonicas Hamburgenſem & Lyneburgenſem A. 1241. primò ortum, plurimas deinde Saxoniæ civitates ſuæ ſocietati junxit, & Lubeca, uti reliquarum Saxonicarum Urbium primaria, ita hujus fæderis Hanſici caput fuit. Seculo XVI. memoranda imprimis eſt illa Conſtitutio Circulorum Imperio Germanico utiliſſima, Maximiliano I. autore, qui primo ſeculi anno in Comitiis Auguſtanis ſex tantum Circulos Franconicum, Bavaricum, Suevicum, Superiorem Rhenanum, Weſtphalicum & Saxonicum conſtituit, qui quidem ultimus omnium maximus tum fuit, plures Status Imperii complexus, qui in ordinatione Regimenti A. 1500. Auguſtæ Vindelicorum facta enumerantur. Deinde tamen in Comitiis Trevirenſibus & Colonienſibus A. 1612. idem Maximilianus decem Circulos conſtituit, & inter eos Saxonicum alium Superiorem, in quo imprimis Electores, Saxoniæ & Brandenburgicum, locavit, reliquos in Saxonico Inferiori reliquit Archiepiſcopatus Magdeburgenſem, Bremenſem, Epiſcopatus Hildesheimenſem, Lubecenſem, Sverinenſem, Raceburgenſem, Ducatus Brunſvico-Luneburgicum, Meclenburgicum, Saxo-Lauenburgicum, Holſaticum, cum urbibus Lubeca, Goslaria, Mülhuſa & Northuſa: Id quod vel ideo moneo, quoniam in hac Iſagoge de illa potiſſimum ago Saxonia Inferiori, quæ Circulo ſuo definita eſt: non tamen ita ſtrictè, ut non vel de Epiſcopatu Verdenſi & Comitatibus Hojano & Diepholdico, quamvis ad Weſtfalicum Circulum pertinent, aut de Cœnobio Walckenredenſi, quamvis Superioris Saxonici ſit, agam, aut ad vicinos, & varia ratione connexos, excurram. Notabile vero eſt etiam bellum, quod anno decimo nono ſeculi

culi decimi ſexti inter Johannem Epiſcopum Hildeſienſem ex Domo Saxo-Lauenburgica, & Henricum, Juniorem dictum, Ducem Brunſvicenſem, exortum eſt, propter oppignoratas Epiſcopo arces quasdam & præfecturas, quas oblata pecunia repetebat Dux, reddere nolebat Epiſcopus. Hinc enim Epiſcopo cum aliis Principibus & Comitibus confœderato, Henricumq; & ejus fratrem Franciſcum Epiſcopum Mindenſem invadente, illoque, adunatis cum Haſſiæ Landgravio copiis, fortiter ſe defendente, grave bellum in Saxonia exarſit, quod nec tres Electores Cerveſtæ congregati reſtinguere, nec Commiſſarii in Comitiis Wormatienſibus à Carolo V. nominati ſopire, ne induciæ quidem obtineri ſub pœna privationis feudorum & banni Imperialis potuerunt. Unde in contumacis inobedientiæ pœnam proſcriptionis ſententia adverſus Epiſcopum & Conſortes à Carolo V. Gandavi pronunciata eſt, executoresque ejus Duces Brunſvicenſes conſtituti ſunt, qui totum Epiſcopatum, excepta Metropoli Hildeſia & tribus arcibus, in ſuam poteſtatem redegerunt: vix dum quinto poſt anno Pace Quedlinburgi per Principes reducta. Verùm, oborto interea religionis cauſa in Germania bello, major adhuc tempeſtas Saxoniæ incubuit. Cum enim 1538 Principes Proteſtantes Brunſvigæ de molitionibus adverſariorum ſuorum deliberaturi conveniſſent, alii Principes Romano-Catholicæ religioni addicti contra eos fœdus Norimbergæ fecerunt, cujus Dux ſummus Henricus Junior Brunſvigius, quem dixi, conſtitutus eſt. Unde factum eſt, ut deinde Saxoniæ Elector & Haſſiæ Landgravius, Smalcaldici fœderati, Henricum invaderent, & tota ditione pellerent, tertioque poſt anno in poteſtatem ſuam cum filio Carolo Victore redigerent, & per biennium captivum detinerent. Nec minori vehementia Henricum invaſit, ditionibusque ſuis ejecit Volradus Comes Mansfeldius

ſeldius, Alberti Brandenburgici nomen præ ſe ferens; quibus tamen receptis, non tantum per Philippum Magnum filium ſuùm hoſtes ſuos magnis cladibus ultus eſt, ſed etiam Albertum Marchionem Brandenburgicum in agrum Brunſvicenſem irruentem victoria inſigni, cruenta licet, duorum filiorum morte, ad Sivershuſam ſuperavit, & altero iterum prælio ad Stederburgum victum tota ejecit Saxonia. Nec minus deinde etiam eos, qui hoſtes ſuos foverant, cum alibi, tum in Saxonia, Ducem Meclenburgium urbesque Lubecam & Hamburgum pecunia mulctavit. Non parum etiam turbarum in Saxonia illo tempore dedit Magdeburgenſis urbis per Georgium Ducem Meclenburgenſem inchoata obſidio, deinde Mauritio Saxoni commiſſa, ſed fruſtra: de ea autem, quæ ſubſecuta eſt, religionis mutatione deinde agam. Seculo decimo ſeptimo, quod nunc vivimus, Urbs Brunſviga, Ducibus ſuis ab aliquo jam tempore refractaria, & idcirco ab Henrico Juniore etiam oppugnata, binis vicibus grave pene incendium in tota Saxonia concitaſſet, niſi id maturè ſuppreſſum fuiſſet. At, poſtquam ferale illud bellum, cui per triginta integros annos univerſa dein Germania ſuccubuit, occaſione fœderis Lauenburgici, per Chriſtianum IV Regem ejusq; graviſſimam ad Lutteram cladem, Chriſtianum Epiſcopum Halberſtadenſem, & obſidionem excidiumq; Magdeburgenſis urbis, in mediam Saxoniam pertractum eſt, tam graviter id florentiſſimas has terras afflixit, ut Saxoniam in Saxonia quærerent, qui antea eam vidiſſent. Et his turbis adhuc durantibus mortuus eſt optimus Princeps Fridericus Ulricus, Dux Brunſvicenſis, Henricianæ Lineæ ultimus, relicta opima hæreditate ſuâ Bernhardinæ Lineæ Principibus, hodieq; florentibus. Reſpexit tandem DEUS clementi oculo Germaniam, omnibusq; ejus provinciis & Saxoniæ quoque optatam pacem dedit, anno 1648. At per æternam illam

lam Pacis Oſnabrugenſis ſanctionem maxima dominiorum in Saxonia facta eſt mutatio. In ſola hac Inferiore, de qua agimus, Saxonia duo Archiepiſcopatus, Magdeburgenſis & Bremenſis, Epiſcopatus tres, Halberſtadenſis, Raceburgenſis, Sverinenſis, Seculares redditi, Sveciæ Regi, Electori Brandenburgenſi & Ducibus Meclenburgicis partim ſub Ducatuum, partim ſub Principatuum nominibus ceſſerunt, ut ex ipſis Pacis Weſtfalicæ tabulis diſtinctè diſcere eſt. Et ex eo tempore, ſi Bremenſem Ducatum & Holſaticum excipias, qui belligerantibus inter ſe Arctois Regibus, ſemper ſimul cladibus involuti fuerunt, reliquæ Saxonicæ Provinciæ, jucunda quiete & tranquillitate gaviſi ſunt, maturè ſuppreſſis in ipſa, quod dicitur, herba Bremenſibus, Hoxteranis, Reinſteinenſib9, Hamburgenſibusq; motibus, qui bellum concitaturi videbantur. Qua in re cum alii Principes, tùm Sereniſſimi Brunſvicenſium & Lynæb. Duces ſtudio pacis, prudentia & moderatione ſua, maximam apud viventes gratiam conſecuti, æternam apud poſteros gloriam reputabunt, qui etiam, ut ſua in familia litibus & diſcordiis occaſionem, hoſtibus vero, ſi aliquando irrumperent, receptum præcluderent & abſcinderent, Brunſvigam Urbem forti manu a. 1671. ſubegerunt, ſuisque ditionibus æterno pacto conjunxerunt.

Verùm, poſtquam ita breviter hanc Saxoniæ Hiſtoriam quaſi per tenuia quædam lineamenta adumbravi, illi ulterius depingendæ me accingam, faciamque id per certa quædam capita, ut & loca ipſa conſiderem, & ſacram in Epiſcopatibus Monaſteriisque & religione faciem, & civile in Ducatibus, Comitatibus, Urbibusque, per certas quoque leges, regimen, & totam denique Pragmaticam Hiſtoriam exponam, non plenè atque integrè, ſed, ut in Iſagoge fieri par eſt, tribus tantum verbis, defectum dein ſuppleturus, & appetitum lectoris ſatiaturus, indicio facto eorum Scri-

G ptorum,

ptorum, per quos & ipſe profeci, & unde plena haberi poteſt notitia; de quibus etiam judicium meum exponam, quod ſequi juvenes, examinare periti poſſint.

Locorum ipſorum notitiam, ſeu Topographiam Saxoniæ, hoc noſtro ſeculo quidem habemus, *Martini Zeilleri* opera, per *Merianum* editam, ex antecedentibus tamen ſeculis nullam diſtinctam; ut colligi hinc inde ex variis ſcriptorum locis, iisque diligenter inter ſe collatis, debeat, quicquid ad hanc notitiam facit, non ſine labore multo & judicio accurato, cum ex nominibus; decurſu temporis mutatis, maxima oriatur difficultas, accedente præſertim mutila & imperfecta Scriptorum narratione. A Fluminibus, quæ aut ſedem nunquam, aut rariſſimè, mutant, majoribus præſertim, inchoandum eſſe in locorum notitia acquirenda, docent periti. At illorum quoque nomina ſæpe ævi lapſu mutata, aut, pronuntiatione male acceptâ, & hinc Hiſtoricorum errore, corrupta, pejus deinde à deſcribentibus habita eſſe, in Saxoniæ quoque fluviis oſtendere licet. Quatuor nobis enumerat *Adamus Bremenſis* in Hiſtor. Eccleſ. l. 1. c. 2. cujus verba integra merentur recitari: *Nobilisſimi Saxoniæ fluvii ſunt, Albis, Sala, Wiſura, qui & Wirraba nuncupatur. Is in Thuringiæ ſaltu fontem habet, quemadmodum & Sala: deinde mediam curſu pertranſiens, in vicino Friſonum ſortitur occaſum. Verum maximus Albis, qui nunc Albia nomen habet, etiam Romanorum teſtimonio prædicatur, cujus ortum ferunt trans Bohemiam, mox Slavos dirimit â Saxonibus. Juxta Magdeburg in ſe recipit Salam fluvium, nec longè ab Hammenburg ipſe Albia mergitur in Oceanum. Quartus ex magnis Saxoniæ fluminibus eſt Emiſa, qui Weſtvalos à reliquis illius provinciæ dirimit populis. Isq; oritur in ſaltu Paderbornenſi, currit autem per medios Friſonum terminos in Oceanum Britannicum.* De quibus, quamvis aliqua jam tum notaverit *Philippus Cluverius*

verius Germ. Ant. l.3. c.49. tamen nonnihil addam, & minores quoque fluvios Saxoniæ Inferioris adjungam. Eſſe autem, tàm *Elff* quàm *Sal* voces appellativas, & ſignificare quemcunque fluvium, jam tum à Viris doctis ſolide oſtenſum eſt, imprimis à Cl. *Scheffero* Ubſaliæ c.1. Et is ipſe, quem modo nominavi, *Adamus Bremenſis* c. 229. ſcribit, etiam apud Sveones eſſe *Albim fluvium, perq; medios Gothorum populos currere in Oceanum, inde & Gothelba dici.* Ubi Scholiaſtes *Anonymus* ridiculè ſcribit, illum *ab Albi Saxonico nomen ſortiri, magnitudine non imparem*, cum, ut dixi, vox ipſa fluvium denotet, & pluribus tribuatur. Romanis Scriptoribus, quibus ſolemne quaſi eſt in fluviorum nominibus E mutare in A, ut in *Ambra* Emmer/ *Amiſius*, Ems/ apparet, *Albis* vocatur, Græcis Ἄλβις & Ἄλβιος, medii ævi Scriptoribus *Albia*, unde *Tranſalbiana* regio Saxonum *Aldhelm.* ad An. 785. dicitur, quæ alias *Nordalbingia.* Quamvis autem Romanis ſatis notus Albis, cum Druſus, Germanicus, Tiberius, bello Germanos perſequerentur, *Tacitus* tamen, qui ſub Trajano vixit, *in Germania, flumen inclytum & notum olim, nunc tantum audiri* ſcribit, ut tanto minus mirum ſit, verum Albis fontem ab ipſo ignoratum. *Vopiſcus in Probo*, ejus & Nicri mentionem facit, vocat autem *Albam*, vel, ut in quibusdam MStis *Iſ. Caſaubonus* invenit, *Album.* p. 238. De decurſu ejus & influxu in mare *Helmoldus* l. 1. Chron. Slav. c.2. ubi de Odera: *Oritur*, inquit, *in profundiſſimo ſaltu Maraborum, qui ſunt ab oriente Bohemiæ, ubi de Albia ſortitur principium. Nec longis ab invicem diſtant ſpatiis, ſed diverſo currunt meatu. Albia enim in occaſum ruens, primo impetu Boemos alluit cum Sorabis, medio curſu Slavos dirimit à Saxonibus, noviſſime Hammenburgenſem dividens parochiam à Bremenſi, victor Oceanum ingreditur Britannicum.* Alter Saxoniæ magnus fluvius Viſurgis, nobis de Weſer/ Romanis Scriptoribus frequenter

quenter memoratur, & *Vellejo* l. 2. *Romanorum clade nobilis* vocatur. Neſcio autem, quomodo ex voce **Weſer** Romanis Viſurgis, Græcis dein Βίσεργις & Οὐίσεργις, ſub Ἰσέυργε nomine, vitiatâ ſcripturâ, apud Dionem latens, formatus ſit. *Cluverus* olim noſtris dictum exiſtimat *Weſerg*, & hinc factum *Viſurgis*. At, qui poſtea ex ſemi-barbaris Scriptoribus, pronunciationem patriam ſecuti, nomen fluvii Latinè extulerunt, nunquam g addunt, ſed tantum *Wiſera*, *Wiſira*, ut eſt in *Aunalibus Francicis Adelmi*, *Wiſura*, ut habet *Adamus Bremenſis*, vel, ut in aliis ejus codicibus eſt, *Viſuris*, *Viſura*, ab illis vocatur, *Wiſor*, *Wiſora* aliis, item *Viſcera*, ut notat *Lambec.* ad Gualdonis vitam S. Anſcharii. Cum autem fluvius *Weſer* vel *Wiſer* vocaretur, adjiciebatur *a*, *aba*, *acba*, ut eſſet *Wiſera*, *Wiſeraa*, *Wiſeracba*, *Wiſercba*, uti paſſim apud Scriptores videre licet. Uti enim per ſolum *aba*, *acba*, *aa*, **awe** / notantur minores fluvii, ita majoribus id adjicitur, ceu obſervatum eſt Nobiliſſimo *Velſero* Rerum Auguſtan. l. 1. & *Scbeffero* in Upſalia c. 1. Dicitur vero *Weſera* etiam contractè *Wirra* Ludovico Pio Imperatori in *Diplomatibus* Corbejenſi Monaſterio datis anno X & XIII ejus Imperii, & hinc Henricus Pingvis, Comes de Northeim, Pater Rixæ, conjugis Lotharii Imperatoris, qui **an der Werre** / id eſt, ad Viſurgim, patrimonium ſuum habebat, vocatur *Henricus de Wbira* à *Paulo Langio* in Chron. Citic. ad An. 758. In *Monum. Paderbornenſibus* multa ab Eminentiſſimo Auctore annotantur egregia de hoc fluvio, quomodo, Werrha & Fulda, infra Mundam confluentibus, hoc nomen primum nanciſcatur, ſemperque dein retineat usque dum in Oceanum infunditur, acceptis in tranſitu per Weſtphaliam plurimis fluviolis, *Dimola*, *Bevera*, *Netba*, *Grova*, *Salpa*, *Saumera*, *Ambra*, *Lutera*, *Alpba*, *Webrna* (quem puto eſſe eum, qui in *Annalibus Adelmi* ad an. 784. *Wa-*

barna vocatur) & *Begha* : quibus deinde merito ſuo annumeratur *Allera*, **de Aller** / in Viſurgim ad oppidum Verden illabens, contra, quam ſcribit *Dalechampius* ad *Plin.* l. 4. c. 14. Viſurgim labi in Alleram. Mentio ejus in Carolini ævi Scriptoribus, cum Carolus Saxonum MCCCCL. mactari juſſiſſet *ſuper fluvium Alaram, in loco, qui Fardi vocatur*, ut eſt in *Annalibus Aldbelmi* ad An. 782. In quibus iisdem Annalibus ad Ann. 910. quando Carolus ſcribitur contendiſſe ad *Araram* fluvium, omnino legendum eſt *Alaram*, cum mox ſubjungat *confluentem ejus cum Wiſiræ flumine conjungi*, ibique, id eſt, Ferdæ caſtra poſuiſſe. In Privilegio Caroli dato Eccleſiæ Verdenſi, quod paſſim extat, *in loco Fardium vocato ſuper Aleram fluvium in pago Sturmi eccleſiam ſtatuiſſe* memoratur. Oritur autem non longè à nobis ſupra Ummendorff ad nemus Brandesleven, & per Brunſvicenſem Lynæburgenſemque agrum decurrit, & interea varios amnes, Scunterum, Fuſam, Iſtam & Ocrum recipit, cujus ultimi mentio etiam fit in Hiſtoria Caroli M, ſcribiturque diverſimodè. In *Annalibus Aldbelmi* ad an. 780 *Obacer* vocatur, ab *Aimoino* vero *Ouacer*. ab aliis *Ouacra*, *Ouekara*. Ortus in Hartzicis montibus, Ilſamque prope Horneburg recipiens, Wolfenbuttelum & Brunſvigam allabitur, & in Alleram multas aquas deducit, qui inde etiam navigabilis redditur. Quem tertio loco nominat *Adamus* inter Saxoniæ fluvios, *Salam*, *Tacitum* quoque non latuiſſe exiſtimant eruditi, quamvis non nominet, ſed deſcribat *amnem gignendis ſalibus fæcundum.* Oritur ille in Piniferi montis parte, quæ Sylva Munchbergenſis appellatur, acceptisque aliis amnibus, Eliſtro quoque & Boda, varias urbes alluit, & tandem in Albim prope Barby effunditur. Nec minus Albim tandem intrat *Orba* fluvius, qui in Ducatu Luneburgenſi in pago Ordörff quatuor ab Ouisfelt milliaribus ortus, in ſubterraneis

neis aliquamdiu occultè progrediens juxta Calvorde rurſus erumpit, & Haldenslebium (ex Henrici Leonis hiſtoria notum oppidum) ab una parte allabitur; cujus vel ideo facienda mentio, quod in Carolingici ævi Scriptoribus mentio ejus fiat, & *Fabricius in Originibus* Saxonicis hunc minus notum fluvium, cum alio notiore, Odera confuderit. In diplomate Caroli M. Verdenſi Eccleſiæ dato *Hora fluvius & Callenvorde* nominatur. In *Annalibus Francicis Adelmi* ad an. 781. memoratur Carolus *caſtra in eo loco, ubi Hora & Albia confluunt, collocaſſe*, id quod fit partim ad Wolmerſtadium caſtrum, partim ad pagum Loitzke. De quarto fluvio Saxoniæ, *Adamo* memorato, *Emiſa*, Romanis Scriptoribus *Amiſia*, ut & de aliis Weſtphalicæ Saxoniæ fluminibus, nihil dicam, qvum de Oſtphalia potisſimum agere decreverim, ſintq; omnia in *Monumentis Paderbornenſibus* egregiè explicata. De Trabena, vulgo **de Trave**, verbum addam, cum etiam *Ptolomæo* ſub nomine *Chaluſi* memoratam dudum exiſtimarint Viri docti. *Bilibaldus* quidem *Pircheimerus* in Germaniæ deſcriptione non ſatis ſibi conſtat, & uno loco *Chaluſum* eſſe *Dravennam*, altero *Eidorum* ſcribit: *Danckwertius* in Topogr. Holſat. *Sventinam* eſſe exiſtimat. *Cluverus* itidem, *Chaluſum* eſſe *Travenam* aſſerit, quod & ante eum ſcripſerat *Chytræus*, ſumpto à vocum ſimilitudine argumento, quia vicinus tractus *Clüſerort* & oppidum *Chlus* nominatur. Quamvis autem *Thraciger in Chronico MS. Hamburgenſi*, & eum ſecutus *Danckwertius*, hæc refellere conentur, tamen, nondum ſatis video cauſæ, cur rejicere Chytræi conjecturam debeamus, magna veriſimilitudine, ut in illis locis oppido, ita etiam flumini Chaluſi nomen fuiſſe. Sub Carolo M. *Travena* vocatur, ſi diploma ejus Verdenſi Eccleſiæ datum ὑποβολιμαῖον non eſt, in quo *Travena abſorberi à mari* ſcribitur. *Helmoldus* l. 1. c. 58. *Tra-*

benam

benam vocat. *Per Wagros*, inquit *Scholiaſtes Adami, currit in mare Barbarum , juxta quem fluvium mons unicus eſt.* Optimè autem ejus originem, augmentaq; ex variis amnibus, tandem influxum in mare Balthicum, deſcribit *Danckwertus in Topogr. Holſat. p. 197.* Poſſem plura de fluminibus his Saxoniæ commentari, ſi Iſagogen iſta decerent, in quo pauca tantum propoſui, ne in lectione omnis ævi Scriptorum de Saxonia, in errorem aliquis incidat. Multa alias *P. Albinus* **in der Meißniſch. Land-Chronick.** tit. 24. de Albi fluvio annotavit, plura de Sala *Gregorius Groitſchius* Grimmenſis ſuperiori ſeculo, habemusque hodie accuratas, Albis Viſurgisque Tabulas Geographicas. Extant vero etiam, ceu ſupra dixi; *Martini Zeileri* per *Merianum* editæ *Topographiæ*, ut reliquarum Germaniæ partium, ſic Saxoniæ. Et quidem, ſi univerſam antiquitus vocatam Saxoniam intelligas, non una ſed pluribus eam illuſtrare conatus eſt, *Topographiâ Weſtphaliæ*, deinde *Superioris Saxoniæ*, & deniq; *Inferioris*, cujus pars *Ducatus Brunſvicenſis & Lynæburgenſis* peculiari etiam Topographia ab eo ornatus eſt. Præterea *Holſatiam* grandi opere & plurimis tabulis illuſtratam accepimus induſtria *Caſparis Danckwerthii* & *Job. Meieri.* Quamvis autem Topographiæ iſtæ magno ſumptu factæ, & multis tabulis in æs inciſis exornatæ ſint, deſcriptiones etiam Urbium & Locorum non ſine multo labore à *Zeillero* factæ ſint, ideoque inſigni uſu non careant: tamen, ſi verum dicendum eſt, plurima in deſcriptionibus deſiderantur, nec Scriptores quosq; optimos ad manum habuit, nec in iis, quæ inde habuit, ordinandis judicio ſemper uſus eſt, nec incerta à certis ſeparavit, uti etiam plurima nullius momenti paſſim inſeruit. Quin in omnibus ejus Topographiis id merito culpes, quod non ſecundum Epiſcopatus, Principatus, Comitatus, Provincias, Præfecturas, ſeu Pagos (ut veteres dixiſſent) ſed Al-

phabetico

phabetico tantum ordine loca recenſeat. Fecit quidem id etiam in *Notitia Galliæ Hadrianus Valleſius*, ſed incomparabili doctrina leviorem illum defectum compenſavit. Melius vero ſe hîc geſſit doctiſſimus *Caſparus Danckwerthius*, eſtque illius *Holſatiæ deſcriptio* omnibus aliis Topographiis merito ſuo multum præferenda: uti etiam *Topographia Ducatus Brunſvicenſis* & *Lynæburgenſis* à *Zeillero* procurata præ multis aliis ejus laudem meretur, quoniam plura de eo cum ipſo communicata fuerunt, & illarum regionum Hiſtoriam, ſcriptis eruditorum virorum, & fortè inter eos non infimo loco, Avi mei, *Henrici Meibomii*, illuſtratam deprehenderat. Aliàs merito etiam Topographiis annumeranda ſunt *Monumenta Paderbornenſia* Reverendisſimi & Celſisſimi Principis *Ferdinandi*, Epiſcopi Paderbornenſis & Monaſterienſis, Principum eruditisſimi, cujus immaturam mortem non tantum mei, quem à plurimis annis ſingulari clementia fovit, ſed publici damni cauſa lugeo, cum in eo, quicquid eſt ubique eruditorum in Europa, Patronum amiſerint, ideoque magnam quoq; ipſæ litteræ, jacturam fecerint. Detecta ſunt in illo libro, & explicata tanta diligentia omnia veteris Saxoniæ loca, quorum in hiſtoria Romana fit mentio, in quibus illi fuerint, pugnarint, & clades à majoribus noſtris acceperint, ut non tam certam oſſa & Romanorum Cæſarum imagine ſignata nomiſmata, quæ â ruricolis ibi frequenter effodiuntur, fidem mihi faciant, quàm congeſta à Ferdinando ſcriptorum loca, collata inter ſe priſca nomina cum vetuſtis, conjecturæque divini ingenii ante oculos mihi omnia ponant, elegantibus figuris, ſed elegantioribus verbis, prorſa vorſaque oratione illuſtrata. Nec minoris momenti ſunt, quæ ad ſacram locorum illorum hiſtoriam à primis Chriſtianiſmi initiis ex Carolino & ſequentibus ſeculis, ipſis Auguſtorum tabulis productis, paſſim in hoc libro eruditiſſimè

adfe-

adferuntur. Quod ſi non interveniſſet maximi Principis flebilis mors, jam tum *Hiſtoria Paderbornenſis*, ejus auſpiciis cæpta, antiquitatis Patriæ amatorum deſideria expleſſet, de cujus tamen publicatione non deſperamus, & tanto magis optamus, ut etiam Celſiſſimi Principis ex ſorore nepos Perilluſtris Dominus *Chriſtianus Baro de Plettenberg* ſuos de Illuſtribus Viris & Scriptoribus Weſtfalis Commentarios, quorum nuper nobis ſpem fecit, publicare non deſinat, cùm nihil niſi exaſciatum è tam erudito & illuſtri calamo profluere poſſit. Verum è diverticulo nunc in viam. Magdeburgenſis, latiſſimè patens in Saxonia Archiepiſcopatus, bonitate agri, præſtantia fluminum, frequentia urbium arciumque, peculiarem mereretur Topographicam deſcriptionem. Et habeo penes me *Georgii Torquati*, eximii Theologi & Hiſtorici ſuperiori ſeculo, *Annales Magdeburgenſes* & *Halberſtadenſes* nondum editos, quibus non juxta annorum ſeriem Hiſtoria Pragmatica, ſed deſcriptio terrarum, fluminum, urbium, arcium, nobiliumque familiarum continetur. Vidi etiam apud Illuſtrem Virum, *Gebhardum ab Alvensleven*, qui pluribus Imperii Principibus à conſiliis intimis, inter reliquas ſeveriores curas, inſatiabili omnis Hiſtoriæ, pragmaticæ & genealogicæ imprimis, deſiderio tenebatur, & in eo plura volumina ipſe conſcripſerat, *Topographiam Epiſcopatus*, nunc Ducatus, *Magdeburgenſis*, magna induſtria ab ipſo congeſtam: ſed & ille ingenti bonorum virorum, qui virtutes ejus noverant, & meo, quem amabat, dolore nuper mortuus eſt.

Quoniam vero, ut apud reliquos Germanos, ita apud Saxones quoque, diſtinctio in Pagos aliquamdiu obtinuit, citra illorum cognitionem, certam & accuratam, ſaltem primorum à Carolo ſeculorum, haberi notitiam locorum non poſſe, arbitror. Quando nimirum, illo ævo, deſcribere

bere ſitum alicujus loci (uti in Donationibus, & Dominiorum translationibus omnino neceſſarium erat) volebant, non ſolùm, in cujus Comitis Comitatu eſſet, (cum illo id quidem tempore notiſſimum, annorum tamen decurſu, comitatibus nondum hæreditariis, valdè variaret) ſed etiam in quo pago, annotabant. Idcirco ad accuratiorem locorum notitiam, & Tabularum antiquarum intelligentiam, quibus Donationes ad memoriam poſteritatis deſcriptæ, plurimum juvat illos Pagos noviſſe. Id quod probe, qua erat prudentia, intelligens ampliſſimus, ſummæ eruditionis & judicii vir, *Marquardus Freberus*, cum in Originibus Palatinis explicandis verſaretur, & Pagorum notitiam magno antiquarum tabularum uſu ſibi acquiſiviſſet, Germaniæ ſub Pipino, Carolo M. & Ludovico Pio notorum Pagorum, ex antiquiſſimis & incorruptis ejus ævi litterarum monumentis, improbo labore, indicem confecit, & parti primæ ſuarum Palatin. Originum c. V. inſeruit inque ipſis illis libris Pagorum ad Rhenum hiſtoriam paſſim illuſtravit. Cujus magni viri, & amici ſui, exemplo Avus meus, *Henricus Meibomius*, de Saxoniæ Pagis Commentariolum ſcripſit, in quo eos ex antiquarum tabularum fide & monumentis antiquis recenſuit & illuſtravit, qui ab omnibus Saxonicæ Hiſtoriæ amantibus magno applauſu receptus fuit. Non tamen ego illos hîc nunc recenſebo ſigillatim, ſed de Pagis Saxoniæ quædam, aliis non dicta, generaliter annotabo. Uti enim Germaniam & Galliam in Pagos, id eſt, Toparchias, Præfecturasq; diviſam fuiſſe ex Romanis Scriptoribus quoque, nedum recentioribus illarum regionum, notiſſimum eſt: ita Saxonia quoque noſtra fuit. Eſtque id non tum demum factum, quando Franci dominari Saxoniæ cæperunt; ſed & ante, & in ipſo belli Franco-Saxonici decurſu ante eam ſubactam, ab Hiſtoricis Carolini ævi, Pagi Saxonum nominantur. In Privilegio

vilegio Bremenſi Eccleſiæ à Carolo dato illud notabile eſt, quod Imperator ſcribit, ſe *Parochiæ illi decem pagos ſubjeciſſe, quos etiam abjectis eorum antiquis vocabulis & diviſionibus, in duas redegerit provincias, his appellans nominibus, Wigmodium & Lorgoe.* Inde enim diſcimus, *pagos & diviſiones* ab antiquo fuiſſe, id eſt, ante Carolum, ſub eo vero dein partim relictas, partim mutatas. Fuerunt autem, ut alibi, ita in Saxonia quoque Pagi, alii Majores, alii Minores, in majoribus incluſi, qui etiam Pagelli aliquando dicuntur. Majores pagi integras gentes illorumque agros deſignabant, abque illis nomen habebant, ut *Bardengow* à Bardis populis, *Northuringia* à Thuringis ſeptentrionalibus, *Dalеminei* à Daleminecijs, *Angeri*, Angergow / ab Angariis, *Holtſatorum*, *Stormariorum*, *Thietmarsgojorum* ab Holſatis, Stormariis, Dithmarſis, quos comprehendebant terminis ſuis. Et hos pagos *Provinciæ* etiam, vel *Marcæ* nomine aliquando appellatos obſervo. Holſatiæ enim Pagus in Henrici Leonis Diplomate *Provincia Holſatorum*, in Adalberonis Archiepiſcopi Hamburgenſis Tabulis apud *Erpold. Lindenbrogium Marca Holſatorum* vocatur: *Daleminci* apud Dithmarum, modo *pagus*, modo *provincia* nominatur: *Haſſagun* pagus, in Diplomatibus *provincia* dicitur. Minores pagi partem aliquam majoris, finibus ſuis circumſcriptam, denotabant. In Carolina hiſtoria nominantur in genere *pagi Weſtfalabi*, *Angrarii*, & *Oſtfalabi*. Ex illis tamen dein in ſpecie Pagus *Weſtphala*, pagus *Angeri*, pagus *Oſtfala* nominatur. Habebant autem Pagi nomina ſua frequenter à fluviis & rivis, quibus quaſi circumſcribebantur, & ab aliis diſterminabantur, unde eſſe, quod *Revier* hodieque pro confinio & collimitio uſurpetur, ingenioſe conjicit *Freherus*. Vocem Pagi, dum vicum vel villam denotat, eſſe à Græca voce πηγὴ, Doricè

παγά, id eſt, fons, dudum notatum eſt *Feſto* & *Servio* in II. Georg. ut ſint Pagani, *quaſi potantes ex uno fonte*, πηγῆ. Poſſent vero Pagi altera etiam ſignificatione, qua regionem aliquam denotant, ab aquarum communi uſu ita vocari, cum à fluviis & rivis denominatos pagos; plurimis, ex Saxonia etiam noſtra petitis, exemplis, oſtendere mihi in proclivi ſit. Ita enim Pagus *Emiſgow* ab Emiſa ſeu Amiſia, Amaſi: *Ambraga* ab Ambra, **Emmergow**: *Pliſni* ab amne Pleisſa: *Paderga* **Padergow** à Padera: *Helmingau* ab Helmo, *Ilmin* ab Ilmo, Thuringiæ fluviis: *Zeremode* à fluvio Zere, qui alias Balſamus: *Warnaviorum* à Warnaw, & *Sturmariorum* à Sturia vel Stora, notis fluviis. Regebantur autem Pagi à Comitibus, & juxta Poetam *Anonymum Saxonem*, ſæpius à nobis citatum, in *Annalibus Caroli* l. 1.

Sed variis diviſa modis plebs omnis habebat,
Quot pagos, tot pene duces, id eſt, Comites.

Erantque in uno Pago interdum plures Comitatus, aliquando unus Comitatus ad plures Pagos ſeſe extendebat, ut in *vita Meinwerci* à *Browero* edita, de Comitatibus Dediconis & Liudolphi legere eſt c. 71. id quod ratione Majorum & Minorum intelligendum eſſe arbitror. Quoniam tamen utplurimum uni Pago unus Comes præerat, hinc factum eſt, ut Comitatus pro Pago diceretur, exiſtimatque doctiſſimus *Adrianus Valleſius* hinc factum eſſe, ut pro *la Comtè* poſterioribus ſeculis diceretur *la Contrée*, & voce illa Pagus, ſeu regio denotaretur. Hinc etiam *Comes* & *Pagenſes* temporibus Carolinis relativa fuerunt, & *Pagenſes* dicti, qui in pago & diſtrictu Comitis ſunt, etiam in urbe, quæ Comiti ſubeſt, ut explicat in eruditiſſimo Gloſſario ſuo *Freſneus*. Quando deſierit hæc Pagorum appellatio, non ita exactè definiri poteſt, cum probabile ſit, alibi eam citius, alibi tardius ceſſaſſe. Avus meus cum fine ſeculi

culi undecimi eam deſiiſſe , conjecturatur , tum ſcilicet, quando Pagi in Ducatus, Principatus, alioſque etiam Comitatus migrarunt, & hæreditario jure poſſideri inceperunt; idquod repetitur & approbatur à Celſiſſimo *Monumentorum Paderbornenſium Auctore* p. 143. Quod tamen non ita ſtrictè accipi velim, cum ſec. XII. *Pagi* vox adhuc occurrat in Tabulis de Saxonicis rebus datis à Friderico I. & Henrico Leone, alibique. Verùm ut ad Topographias redeam, in illis quoque Urbium Saxonicarum deſcriptiones habentur. Qvin & in voluminibus, quas de Urbibus generaliter magis, *Werdenhagen* & *Knipſchild* conſcripſerunt, non pauca de Saxonicis quoque annotata reperias: ut & apud *Limnæum.* Sunt quoque, qui ſigillatim , de quibusdam Urbibus Saxoniæ egerunt, non magno tamen operæ pretio. Sola ad Albim antiquitate, commerciis & Archiepiſcopali quondam dignitate nobilis urbs, *Hamburgum*, melius videtur habuiſſe in eâ re fatum. Nacta enim eſt inter antiquiores Hiſtoricos rerum ſuarum non indiligentem Scriptorem *Adamum Bremenſem.* Et pragmaticam quoque ejus hiſtoriam *Albertus Crantzius* in Saxonia , & Metropoli , *David Chytræus* in Saxonia ſua, aliique , qui Holſatica & Danica expoſuerunt, non neglexerunt. Poſt medium vero ſuperioris ſeculi *Adamus Thraciger* , primo Theologiæ Profeſſor in Academia Roſtochienſi , dein Syndicus Hamburgenſis , ac demum Cancellarius Ducis Sleſvici & Holſatiæ, *Hamburgenſis Urbis Chronicon* lingua vernacula ſcripſit, quod, licet nunquam editum ſit, tamen, ut in mea, ita plurimorum Bibliothecis MStum extat: de quo varie judicatur. Nonnulli illius turbulentum ingenium culpant, quod nec diſſimulat ejus in cathedra Theologica Roſtochienſi ſucceſſor *David Chytræus* l. 18. Saxon. p. 489. plura quoque, quæ famam ejus imminuant , adducuntur ab *Adamo Oleario* in Chronico Holſat. pag. 54. 55.

quæ tamen non impediunt, quo minus res Hamburgenſes fideliter narrare potuerit, & plenè etiam, cùm Syndicum Urbis ageret, & ad ejus Chartophylacia aditum haberet, uti certè ab ipſo Tabulæ memorantur, quæ valde licet deſideratæ, nullibi jam amplius reperiri poſſunt. Interim, dum varia cum fortuna inter initia ſua luctata eſt Urbs, toties vaſtata, incenſa & deſolata, non potuit quoque non jacturam veterum chartarum ſuarum facere, iisque deſtitutus *Thraciger*, cum aliunde idoneis monumentis colligendis & dijudicandis debitam operam non impenderet, & *Crantzium* inconſideratè ſequeretur, in multos errores incidit, & temporum rationem imprimis confudit, uti à doctis animadverſum eſt. Minuunt etiam ipſi Hamburgenſes fidem operis, dum illud nunquam typis excuſum, ſed ſcriptum, modo ab hoc, modo ab illo auctum vel mutatum, magno Urbis ſuæ præjudicio circumferri, queruntur in *Apologia* p.725. At omnem illum defectum ſupplere viſus eſt, magni ingenii & judicii & hiſtoriæ ſcribendæ peritus Vir, *Petrus Lambecius*, qui, junior licet, operam, quam hactenus Græcis Latinisque Scriptoribus recenſendis feliciter impenderat, Patriæ Urbi in concinnanda ejus hiſtoria conſecravit. Tanta autem felicitate, materiâ ex omnibus ſcriptoribus & monumentis curioſisſimè conquiſitâ, id præſtitit, ut prima parte Rerum Hamburgenſium cum plauſu excepta, altera poſt novennium addita, majorem etiam in erudito orbe meruerit. Dolendum autem, quod in A. 1292. ſubſtiterit, & aliis dein laboribus occupatus, tandem A. 1680. 24. Martii peſte Viennenſi mortuus ſit, ut nihil ab ipſo amplius exſpectare liceat. Poſtquam tamen ille doctisſimus Vir glaciem fregit, & antiqua, ſepulta, vetuſta eruit, non adeo difficile fuerit, Res celeberrimæ Urbis ad noſtra usque tempora pertexere, nullibi jam deficientibus ſubſidiis. De ultima Urbis ejus à Caroli M. ævo notitia præclarè diſſerit

Lam-

Lambecius. Uti autem conditam eam eſſe Caroli M. auſpiciis, ſub nomine Caſtelli *Hochbuchi*, certum eſt: ita neſcio, quo auctore ab Odone, Legato Caroli, conditam eam ſcribat. Id quod etiam in *Chronico Holſatiæ* ex *Chriſtiani Solini Chronologia* compilato p. 5. & apud alios lego. In Annalibus Francicis, ſive *Eginhardi*, ſive *Adelmi*, quos ſequitur *Lambecius*, ad An. 808. notatur quidem, Carolum per Legatos ſuos ſuper Albim fluvium duo Caſtella extruxiſſe, præſidiumque in iis contra Slavorum incurſiones diſpoſuiſſe, qui tamen illi legati fuerint, non additur. Ad an. 810. iidem Annales narrant, Odonem, quando caſtellum illud à Wilſis captum eſt, Legatum Imperatoris fuiſſe, ſed nihil præterea. Qui igitur conſtat *Lambecio*, Odonem, qui biennio poſt Legatus Imperatoris fuit, tum etiam fuiſſe, quando per Legatos Carolus memoratur caſtellum *Hochbouchi* excitaſſe? Sufficit igitur Carolum, qui auſpicia ſua commendavit, auctorem eſſe, quamvis Legatorum, quorum opera Cæſar uſus, nomen ignoretur. Vocis H*amburgi* originem rectè quidem *Lambecius* ab H*am* deducit, ſecutus *Avum meum*, qui *in Not. ad Levoldi. Northov.* Orig. *Marcanas* p. 44. pridem docuerat, H*am* eſſe vetus vocabulum Saxonicum, & ſignificare ſaltum, ſive nemus, unde apud Dithmarſos duo ſaltus, alter *Süderham*, *Norderham* alter appelletur, ut ſit Hamburgum, quaſi caſtellum ſylveſtre, vel in loco ad ſylvam extructum. In antiquo tamen urbis nomine H*ochbuchi* fruſtra ſe torquet doctiſſimus Vir, & rejectis variis ſententiis, meliorem non adfert: re tamen, ut mihi quidem videtur, expedita. Quoniam enim in Annalibus Francis ad An. 810. & 811. modo H*ochbuchi*, modo H*ochboki* nominatur, ab *alta fago*, Hohenböken/ primum nomen loco datum arbitror, ut dein à ſylva ſecundum. Non intellectam vero vocem corruperunt *Albertus Stadenſis* ad an. 810. & 811. ubi H*ochburi*, & *Lambertus*

Schaf-

Schaſnaburgenſis, ubi *Hohenburg*, ſive ipſorum Hiſtoricorum, ſive deſcribentium error intervenerit: Cum tamen non inſuetum olim fuerit ab arboribus nomen urbibus dare, &, ut alia taceam, in *Antiqua Diviſione*, ſub Carolo M. facta, quam producit *Marquardus Freberus* Orig. Palatin. l. 1. p. 49. mentio fiat loci, dicti *Hagenboucha*, manifeſtâ à fagi quadam ſpecie denominatione. Ut vero *Hamburgenſium Rerum* hiſtoriam *Lambecius*, ita *Lubecenſium* quoque orbi erudito exponere decreverat, Vir Cl. *Henricus Bangertus*, præclarâ *Helmoldi* & *Arnoldi* Slavicæ Hiſtoriæ conditorum editione notiſſimus, magna eruditione & exquiſito judicio tantæ rei par. Vix unâ tamen alterâve pagellâ, in ſpecimen futuri operis, publicatâ, infelici caſu mortuus eſt Vir longiore vita digniſſimus, quem primum in hiſtoria veteri & recenti præceptorem me habuiſſe lætor. Non dubito tamen, quin Vir Cl. *Jacobus à Mellen*, ſi otium & ſubſidia idonea nactus fuerit, quæ præclare cæpit, in patriæ Urbis gloriam continuaturus, & Bangertianos conatus perfecturus ſit.

Sed jam tempus eſt, ut ad Sacram, ſive Eccleſiaſticam Saxoniæ hiſtoriam, quæ à Carolo M. ut ſupra patuit, initium ſumit, progrediamur. *Eginhardus* in vita Caroli Saxones *Dæmonum cultui deditos, noſtræque religioni contrarios, neque divina neque humana jura vel polluere vel transgredi inhoneſtum arbitrari*, ſcribit, poteſtque hoc judicari ex *Indiculo ſuperſtitionum vel Paganiarum*, à quibus populum Epiſcoporum ſollicitudine revocandum *Synodus Lifftinenſis* A. DCCXLIII. ſtatuit; quod vetuſtiſſimum Germanicæ antiquitatis monumentum, novem ſecula ſuperans, ex MSto Codice Palatino Bibliothecæ Vaticanæ bona fide erutum, ante viginti octo annos Romæ publicavit Eminentiſſimus *Paderbornenſis Epiſcopus Ferdinandus*,

nandus, Lifftinenſi concilio memorato illis in membranis ſubjunctum. Idem enim, qui alibi in Germania Dæmonum cultus, eædem ſuperſtitiones, in Saxonia quoque fuerunt, quaqua verſum illa patet. De Slavis *Helmoldus*, de Pruſſis meretur legi, qui peculiari & erudita epiſtola ad *Georgium Sabinum* dæmonolatriam eorum expoſuit *Joh. Meletius*, illius terræ incola & αὐτόπτης teſtis. Utinam vero Epiſcoporum ſollicitudine omnes illæ paganiæ ex animis Chriſtianorum evulſæ eſſent, & non inter Saxones noſtros, plebejos ſaltem & ruricolas, *de incantationibus, de divinis vel ſortilegis, de igne fricato, de ligno, id eſt, Nodfyr, de obſervatione pagana in foco, vel incboatione alicujus rei*, quorum meminit *Indiculus* citatus, veſtigia non tantum videre, ſed rem ipſam quoque liceret? Quam verum enim ſit, quod de Saxonibus narrat *Eginhardus*, eos Dæmonum cultum ægrè dimiſiſſe, &, quamvis coacti dimitterent, tamen ad eum reverſos, velut κύων ἐπιστρέψας εἰς ἴδιον ἐξέραμα, juxta verba Apoſtoli Petri, dijudicare eſt ex iis, quæ de Idoli, Crodonis, Hartzburgi in vicinia noſtra culti, narrantur in *Topographia Brunſvicenſi* p. 105. Credibile autem eſt, ut alios Germanos, ita Saxones quoque, qui in Burgis, Oppidisque erant, citius ad Deum converſos, illos vero, qui in pagis vicisque, in deſertis, & ericetis morabantur, tardius luce divina colluſtratos, & hinc factum, ut qui Pagani Latinè primis Chriſtianis dicerentur, non abſimili origine die Heiden ab ericetis denominarentur, unde Paſchalis II Papa in diplomate Legationis ad gentes pro Ebbone Archiepiſcopo Remenſi religioſiſſimum judicat, cæleſtia pabula ſalubri communicatione ſubminiſtrari *maximè his, qui in compitis & pagis ſub principe tenebrarum callida perſvaſione perſiſtunt.* Deſtruxit vero Carolus M. primarium totius Saxoniæ Idolum, & numen quaſi tutelare, Irminſul, in Saxonia veteri ſeu Weſtfalia

ad Dimolam ; uti pluribus explicat *Avus meus* peculiari *de Irminſula commentario*, & ibi templum ſeu capellam Chriſto conſecravit. Non negari quidem poteſt ſub Carolo M. religionem Chriſtianam armorum vi propagatam, unde à nonnullis Saxonum Apoſtolus armatus vocatur, de erectione tamen Epiſcopatuum, fundatione Eccleſiarum & monaſteriorum, eum ſollicitum fuiſſe, Leone III. Pontif. Rom. etiam ſub finem ſeculi VIII. in Saxoniam veniente, luculenter ex hiſtoria ejus diſcere licet. An autem decem Epiſcopatus in Saxonia ab ipſo Carolo M. erecti, & iis quidem privilegiis, quorum tabulæ vulgo circumferuntur, donati fuerint, alio loco pluribus diſquiram, cum inter diſſentientes ab hac & ab illa parte non pauca aſſeri videam, quæ rigidum examen non ferunt. De Hamburgenſi Archiepiſcopatu res eſt certior, illius inſtitutionem non Carolo, ſed Ludovico Pio ejus filio deberi, unde etiam factum, ut inter Metropolitanas Eccleſias, quibus pecunias in Teſtamento, quod apud Eginhardum extat, legavit, nulla illius reperiatur mentio. Inſtituere quidem Carolus Archiepiſcopatum in illa urbe voluit, ſed impeditus reliquit id filio Ludovico, Pio dicto, Sub illo igitur Hamburgenſis Eccleſia Archiepiſcopalis & totius Transalbinæ Provinciæ primaria eſſe cæpit, ſub Ludovico vero, illius filio, Rege Germaniæ, Bremenſis Epiſcopatus illi copulatus eſt, ut tamen Archiepiſcopatus titulus Hamburgo maneret, quem anno demum 1223 Bremenſi ceſſit. Erat vero ille Archiepiſcopatus latiſſimus, ſuffraganeos Epiſcopatus per totum Septentrionem habens cum Eccleſiaſtica Jurisdictione & viſitandi jure, id quod tamen ſub Henrico IV Cæſare mutavit propter cenſuram & excommunicationem temerè ac inconſideratè à Liemaro Archiepiſcopo adverſus Regem Daniæ Ericum tertium decretam. Is enim irritatus, ope Eugenii Pontificis Londini in Scania Aſche-

rum

rum conſtituit Archiepiſcopum, eique Daniæ, Sveciæ & Norwegiæ Epiſcopos ſubjecit, ceu in Annalibus Epiſcoporum Sleſvicenſium memorat *Cypræus* c. 18. fruſtra deinde pro ſuffraganeis illis recuperandis apud Cæſarem & Papam laborante Hartwico Epiſcopo, quod narratur in *Hiſtoria Archiepiſcoporum Bremenſium* edita à *Lindenbrogio* p. 55. Sed redeo ad Ludovicum, qui Pii nomine celebris, pietatem ſuam in dilatanda Chriſti Eccleſia in Saxonia, & partibus Septentrionalibus, non patris exemplo per arma, ſed blandiori more, erectis Epiſcopatibus, Eccleſiis & monaſteriis, miſſisque in infidelium terras Legatis, ut appellabant, piis viris, qui Apoſtolorum more, prædicando Evangelium, gentes converterent, zelo divino agitati, contempto, quod impendere ſibi ſciebant, periculo. Quo in loco reticere non poſſum pii & prudentis Imperatoris inſtitutum, quo, ut Saxones Chriſti doctrinam rectius acciperent, in eorum lingvam Sacrum Codicem transferri fecit, ut ex *præfatione in librum antiqua lingua Saxonica conſcriptum*, quæ extat inter *Hincmari* epiſtolas à *Corderio* editas p. 634. patet. Cum enim Anonymus ille *HLudovicum, Piiſſimum Auguſtum* laudaſſet, quod, *præter plurimas Reip. utilitates*, in eo, quod *ad ſacroſanctam religionem, æternamq; animarum ſalubritatem attinet, ſtudioſus ac devotus* eſſet, ita de Imperatore pergit: *Nam cùm divinorum librorum ſolummodo literati atq; eruditi prius notitiam haberent, ejus ſtudio atq; imperii tempore, ſed dei omnipotentia atque inchoantia mirabiliter auctum eſt nuper, ut cunctus populus, ſuæ ditioni ſubditus, Theudiſca loquens lingua, ejusmodi divinæ lectionis nihilominus notionem acceperit. Præcepit nempe cuidam viro de gente Saxonum, qui apud ſuos non ignobilis vates habebatur, ut vetus ac novum Teſtamentum in Germanicam linguam Poeticè transferre ſtuderet, quatenus non ſolum literatis, verùm etiam illiteratis ſacra divinorum*

præceptorum lectio panderetur. Qui juſſis Imperialibus libenter obtemperans, nimirum eo facilius, quo deſuper admonitus eſt prius, ad tam difficile tamq; arduum ſe ſtatim contulit opus &c. Non defierunt vero Hiſtorici, qui tum temporis plerique ſacri ordinis erant, Religionis nobis progreſſum, Epiſcopatuumque & Monaſteriorum augmenta narrare, quamvis ex ipſo Carolino ævo & proximis ſeculis neminem habeamus, qui data opera id egerit. Quæ igitur in Annalibus diſperſa ſunt, ſollicitè colligenda, Tabulæ fundationum antiquæ excutiendæ, exque his facies aliqua primi in Saxonia Chriſtianiſmi, concinnanda eſt, uti quoad Saxoniam Weſtphalicam ejusque Diœceſin Paderbornenſem egregie in Monumentis Paderbornenſibus toties citatis factum videmus. Plurimum vero ad hanc rem conferunt Vitæ Sanctorum, qui vel peculiari vitæ ſanctitate inclaruerunt, vel in convertendis gentibus in Legationis munere ſingulari zelo vitam conſumpſerunt, vel aliquando mortem glorioſo martyrio oppetierunt. Habemus illas ſparſim à multis præclaris & induſtriis viris editas; alii conjunctim eas edere variis tomis inſtituerunt, ut *Johannes Bollandus*, *Godefridus Henſchenius* & *Daniel Papæbrochius*. Equidem, quam aliàs mereantur Vitæ Sanctorum laudem, & quantum ſibi publicum obſtrinxerint immenſo illo labore ſuo modo laudati viri, pari candore & judicio expoſuerunt eruditiſſimi *Actorum Lipſienſium* Auctores: Ego vero hoc in loco aſſero, plurimum eas, peritorum manibus tractatas, ad Hiſtoriam Temporum, Geographiam ſeu Topographiam, Genealogiam, & interdum quoque Pragmaticam Hiſtoriam conferre, quamvis Lectorem, judicio majori præditum, quam alii libri Hiſtorici, poſtulent. Cum enim in his Vitis genus, nativitas, peregrinationes, glorioſi actus, mortes, & martyria cum pluribus circumſtantiis recenſeantur, non pauci vero ex illis

illuſtri genere orti, ſummis Regibus & Imperatoribus familiares, ad magnas imò ſummas in Eccleſia dignitates, nec parvam aliquando in Republica potentiam, pervenerint, non poteſt non iſtorum vita plenius propoſita plurimum lucis omni hiſtoriæ affundere, non ſacræ ſolùm, ſed & profanæ: id quod primus diligentius obſervavit *Heribertus Roſweidus*. Neque objici debet, eſſe inter illas Vitas Sanctorum multas ſuppoſititias, quasdam miraculorum incredibili, non cohærente, & manifeſtò falſa narratione, ut in illa, ita in cæteris quoque fidem omnem amittere: jam tum enim *Bollandus, Henſchenius, Papebrochiusq;* viri eruditione, induſtria, judicio & candore aliis præſtantes ſuppoſititia Scripta *à* veris egregie & libere, neglecta imperitorum & ſimplicium inde metuenda calumnia, ſeparaverunt: quod ſi quid deeſt, ſupplendum id judicio, ut in omnium aliorum hiſtoricorum lectione de ipſorum ſcriptis facere par eſt. Nec etiam propter multa incredibilia adjecta & ſuperſtitioſa à credulis & ſimplicibus, & ſeculi more ejusmodi rebus, pietate majore quam prudentia, addictis, reliqua omnia in dubium vocanda ſunt, cum in aliis, quæ obiter & quaſi extra ordinem narrantur, plus ſæpe fidei mereantur ſimplices illi, quam alii majores Hiſtorici. Ut igitur aliam omnem, ſive alterius gentis, ſive Germanorum, hiſtoriam plurimum juvare poſſunt hæ Vitæ Sanctorum, ita Saxonicam quoque, de qua nunc agimus. Ne enim ex vaſtis illis Tomis ad Majum usque menſem jam deductis, omnes recenſeam, multum illuſtratur veteris Saxoniæ ſeu Weſtfaliæ Hiſtoria â Sanctorum vitis, ut B. Meinverci, Paderbornenſis Epiſcopi, uti eam cum ſcholiis edidit *Chriſtoph. Brovverus* a. 16 hujus ſeculi, & auctioribus iterum obſervationibus ante quinquennium doctiſſimus *Adolphus Overham*, Imperialis & liberæ Abbatiæ Werthinenſis Ordinis S. Benedicti monachus, patriarum antiquitatum, exem-

exemplo maximi ſui Patroni, *Ferdinandi* Epiſcopi Paderbornenſis & Monaſterienſis, curioſiſſimus ruſpator, qui nuperrime plurium eruditorum, & meo quoque, inſigni dolore in vicino Monaſterio S. Ludgeri obiit. Habemus vero apud eundem *Brovverum* inter Sideta illuſtrium virorum vitas Epiſcoporum Hildesheimenſium *S. Bernvvardi*, Ottonis III informatoris, qui primus ex gente Saxonum numero Sanctorum adſcribi meruit, & *S. Godebardi*, ex quibus multa diſcere licet. Extat quoque Archiepiſcopi Magdeburgenſis, *Nortberti*, Lothario Imperatori cari, vita. Hamburgenſis vero Archiepiſcopi *Anſgarii* vitam à Remberto ejus ſucceſſore, & Gvaldone monacho peculiaribus libris deſcriptam, memoratis ex cauſis, hiſtoriæ illuſtrandæ publicavit, & ſuo T. 1. Rerum Hamburgenſium adjunxit Cl. *Lambecius*. Ex aliis Hiſtoricis de propagatione Religionis in Saxonia pauciora habere licet, cum ea non exponant, niſi cum ſuis rebus aliquam cognationem habeant. Seculo XI ſub Henrico IV *Adamus* hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit â Carolo M. ad ſua usque tempora. Fuit is Canonicus Eccleſiæ Bremenſis & Matricularius, ut ipſe ſcribit, aliisque jam notatum eſt: ego vero rexiſſe eum etiam ſcholam Bremenſem, quæ ibi, ut in aliis cathedralibus Eccleſiis, habebatur, probare poſſum, & hinc nomen *Magiſtri* accepiſſe. Non tantum enim ab *Helmoldo* Chron. Slav. l. 1. c. 14. vocatur *Magiſter Adam*, qui *geſta Hammenburgenſis Eccleſiæ Pontificum diſertisſimo ſtylo ſcripſerit*, ſed & ipſe in Inſtrumento quodam Adelberti Archiepiſcopi Hamburgenſis facto Bremæ 4. Idus Junii 1068. ita ſe ſubſcribit: *Ego Adam magiſter ſcholarum ſcripſi & ſubſcripſi.* Ipſe ſe in præfatione Operis *proſelytum & advenam* vocat; ex Superiore vero Germania eum fuiſſe ex nominibus propriis corruptis, cum ad ſuum vellet aptare idioma, jam tum obſervavit *Scholiaſtes ejus*

ano-

anonymus. Magna interim diligentia, dum Bremæ fuit, Eccleſiæ eum tabularia excuſſiſſe, Chronica perluſtraſſe, & apud rerum peritos omnia inquiſiviſſe, non tantum in præfatione ad Liemarum Archiepiſcopum teſtatur, ſed res ipſa loquitur. Quamvis autem frequenter intermiſceat, quæ in reliqua Saxonia geſta ſunt, tamen quam maximè exponit, quomodo maritimæ & boreales Saxoniæ partes & Transalbini populi ad Chriſtianam fidem amplexandam deducti ſint, in quo Archiepiſcoporum Hamburgenſium pietas enituit, quam præcipuè narrat. De Willehado paucis agit, in Anſgario vero, & ejus legatione exponenda, latè ſe diffundit. Non negat quidem, jam tum Ebbonem Archiepiſcopum Remenſem de ſalute gentium religionis ſtudio fervidum legationem à Paſchali Papa ſuſcepiſſe; quod & *Flodoardus* l. 2. Chron. Rem. c. 19. p. 144. teſtatur his verbis: *Hic præſul Ebbo cum conſilio Ludovici Imper. & autoritate Paſchalis Pontificis prædicandi gratia ad terminos usq; Danorum acceſsit, ac multos ab eis ad fidem venientes baptizavit:* & nos in Bibliotheca Academiæ noſtræ in antiquo codice deſcriptas habemus ipſas Paſchalis Papæ Litteras, ad omnes Chriſtianos Deo fideles, quibus Legationi fidem facit, omnibusque Ebbonem commendat, &, ne ullo modo impediant, ſub anathemate vetat, editas à *Madero.* Quod tamen alii voluerint, nec potuerint, id voluiſſe & perfeciſſe Ansgarium, docet *Adamus*, & diligenter habita temporum ratione, omnia dein ordine exponit. Neque vero poſt *Adamum* ſimile opus alius aggreſſus eſt, deſcripſeruntque eum *Helmoldus*, *Albertus Stadenſis*, aliique, cum ſacram illam hiſtoriam narrant. *Helmoldus* tamen, qui ſequente ſeculo XII vixit, cum Geroldi ultimi Eccleſiæ Aldenburgenſis in Wagria & primi Lubecenſium Epiſcopi Comes in convertendis Slavis Wagriis fidelem præſtitiſſet operam, in ſuo Slavorum Chronico converſionem illarum

rum gentium egregiè exponit. Ubi notanda imprimis ea ſunt, quæ de Epiſcopatibus tribus, Aldenburgenſi, Miclinburgenſi & Racesburgenſi, & Henrici Leonis Ducis magna in conſtituendis & inveſtiendis Epiſcopis auctoritate, & diſputatione hinc inter eum & Epiſcopos orta, narrat l.1. c.*69.* alibique: quæ confirmare ex ſuperſtitibus tabulis mihi integrum eſſet, ſi hic locus admitteret. Poſt aliquot deinde ſecula omnem Eccleſiaſticam Hiſtoriam Saxoniæ, de primis Religionis Chriſtianæ in hac terra initiis, deque ejus Epiſcopis ab A. 780 usque ad an. 1504. libris XII ſub nomine *Metropoleos* aggreſſus eſt *Albertus Crantzius*, per veterem non minus Saxoniam, Weſtphaliam, quam reliquam hodie ita dictam ſe diffundens. Fuit ille primum in Academia Roſtochienſi Theologiæ & Decretorum Doctor & Profeſſor, poſtea Hamburgenſis Eccleſiæ Decanus; aliquando etiam in Collegio Canonicorum Naumburgenſium vixit. Poſtquam autem ad Hiſtoriam ſcribendam ſe accinxit, immenſam antiquorum monumentorum & Chronicorum copiam congeſſit, quibus ad tam varia & diffuſa narranda uſus, ſæpe tamen illorum nullam facit mentionem, quamvis ipſis Auctorum verbis, ne vocula mutata, res geſtas exponat. Bonum tamen factum, quod poſt *Crantzii* mortem, non tantum *Adamus Bremenſis*, *Albertus Stadenſis*, *Helmoldus*, *Arnoldus*, *Gobelinus*, quibus *Crantzius* uſus, ſed alii quoque Scriptores rerum noſtrarum, cum monumentis & tabulis antiquis, publicati ſunt, ut *Crantzium* non nude ſequi cogamur, ſed examinare ad ipſos illos veteres, an recte ex iis ſua propoſuerit, & ad fontes relicto rivo accedere, queamus. Lapſum enim frequenter *Crantzium*, nec fideliter ſatis ſuos Auctores ſecutum, & ab aliis oſtenſum eſt, & à me pluribus fieri poſſet, quamvis de reliquo non poſſit non ſatis laudari opera doctiſſimi viri, & majorem fidem,

dem, quo propius ad ſua accedit tempora, mereatur. Saxoniæ Veteris ſeu Weſtphaliæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſcripſit magno volumine lingua Germanica *Gerhard⁹ Cleinſorge* J. V. L. ab anno 700. usque ad an. 1577. natus ipſe Bilveldiæ in Comitatu Ravensbergico anno 1530. ut in Chronico teſtatur, denatus anno 1591. Menſe Februario. Editum illud quidem hactenus non eſt, ſed meretur ab omnibus hiſtoriæ patriæ amantibus legi, cum non tantum, quæ præter *Crantzium* alii hiſtorici annotarunt, diligenter collegerit, examinarit, & *Crantzium* ſæpe erroris redarguerit, ſed etiam multa ex ineditis Chronicis, Monaſteriorum & Eccleſiarum Archivis nemini dicta feliciter eruerit, & juxta annorum ſeriem commodè digeſſerit. Totius vero Saxoniæ Hiſtoriam, cum poſt *Albertum Crantzium*, ab eo tempore, ubi ille deſierat, magno animo inchoaſſet, V. CL. *David Chytræus* in Academia Roſtochienſi Profeſſor, Eccleſiaſticæ quoque ejus hiſtoriæ pertexendæ deſiderio flagravit, ſed non niſi procemium Metropoleos & Indicem quendam Epiſcoporum in Eccleſiis Saxoniæ & Vandaliæ veteris Cathedralibus viginti ab anno Chriſti 1509 ad ann. 1597. ſibi ſuccedentibus, edidit, mortuus ipſe 25. Junii. 1600. Videre autem ex illis eſt, qualis Eccleſiæ tum temporis fuerit facies, quam tamen pluribus oſtenderunt *Centuriatores Magdeburgenſes & Flacius Illyricus in Catalogo teſtium veritatis.* Triumphavit quidem doctrina de Chriſto per Legatos & Miſſionarios inter Barbarorum perſecutiones, incredibilemque pertinaciam & dæmonum cultus obſtinatum amorem, & non provinciæ tantum, ſed integra regna Chriſto fuerunt acquiſita, *ibi ſolum poſito evangelizandi ſilentio, ubi mundus habet terminum*, ut magnificè loquitur *Adamus Bremenſis*: quæ tamen jam cæperat corruptio in doctrina, ritibus, diſciplina, propagata longius fuit. In Epiſcopis & Abbatibus major ferè vitæ ſanctimonia & ze-

lus, quam doctrinæ cœleſtis veritas, Pietas inſignis, ardens promovendi Chriſti nomen deſiderium, contemptus rerum humanarum præ divinis, vitæ etiam ipſius; quæ plurimum laudis merentur. Inter rudem tamen, piam licet, ſimplicitatem, & credulam ſanctimoniam, doctrinæ Chriſtianæ lumen plurimarum ſuperſtitionum nube obruebatur, cumque apud Barbaras hactenus & feroces gentes, bonorum operum ſtudia urgerentur, quicquid Eccleſiis & Monaſteriis dabant, id *pro remedio animæ ſuæ & ſuorum, ob ſpem & pretium vitæ æternæ, ob remiſſionem omnium peccatorum, pro peccatorum redemptione* ſe dare exiſtimabant, & hæ opiniones continuabant deinde, ut verbis ipſis Tabularum antiquarum Saxoniæ noſtræ oſtendere licet. Hinc tot monaſteria paſſim extructa, tot liberales iis factæ donationes, promoventibus rem Epiſcopis & Abbatibus, qui typhum mundanum in Eccleſiam intrudere nitebantur. Decurſu autem ſeculorum major cæpit eſſe à vera doctrina aberratio, in ritibus ſuperſtitio, in clero ignorantia, & vitæ improbæ licentia, ut reformationem quam maximè deſiderarent omnia. Quam etiam benigniſſimus DEUS Saxoniæ noſtræ ſuperiori ſeculo indulſit, ea per Martinum Lutherum ejusque diſcipulos effulgente veritatis divinæ luce, qua hodieque poſteri gaudemus. Non ſine gravi quidem tumultu, multoque ſangvine effuſo obtineri ea potuit, licetque non ſine intimiore ſenſu legere omnia, quæ, & per quos acta ſunt, uti cum alii, tum *Hermannus Hamelmannus* peculiaribus libris *Renati in Saxonia Evangelii* expoſuit. Magnus quidem Princeps & belli gloria imprimis conſpicuus, Henricus, Junior dictus, Dux Brunſvic. & Lyneb. fixa à primis annis perſvaſione & amaro quodam zelo inductus, ſalutarem Saxoniæ reformationem aliquantum retardabat, cum ſeſe Lutheri doctrinæ opponeret, & Smalcaldicis fœderatis arma, Deo tamen ita volente, infelicia oſtentaret: Factum tamen eſt tandem, ut remitteret in

fer-

fervidi ingenii Principe cum ſenili ætate æſtus, & inter frequentes ſacri codicis lectiones mitius ſentire de iis inciperet, qui ad priorem puritatem revocare Eccleſiam nitebantur, ſuamque libertatem animis relinqueret. Quin conſtat, eum duos confeſſionis Auguſtanæ articulos de conjugio clericorum libero & communione ſub utraque ſpecie in oratione ad Philippum Haſſiæ Landgravium libera voce approbaſſe; dubiumque in ea re fuiſſe ſatis docet, quod accuratè apud Pontificem Pium IV. per procancellarium ſuum Ludolphum Halverium inquiri fecerit, qua de cauſa urgente Imperatore Ferdinando uſum calicis permiſerit, reſponſo Pontificis ex authentico à Cl. *Georgio Calixto* antehac edito. Factum autem deinde eſt, ut non tantum filius Julius, puræ religioni, vivente adhuc patre, jam addictus, eam ubique per terras ſuas propagari faceret, ſed nepos quoque Henricus Julius (quem ab Avo Henrico ſibi commendatum à Præſulatu Halberſtadenſis Eccleſiæ removere conabatur *Pius V.* Pontifex Romanus, ut ex ejus *Epiſtolarum l. I. Epiſt. 14. 15. & l. 2. Epiſt.* 3. apparet) Halberſtadenſis Epiſcopus factus, primus conjugii in ſacro ordine libertatem, ducta Dorothea Saxonica, ſuo exemplo approbaret, & Eccleſiam, juxta puritatem primitivæ, reformaret. Manſit illa puritas in Saxonia noſtra in hunc usque diem, manebitque, ut ſperamus, & precamur, in perpetuum, quamvis circa annum vigeſimum nonum hujus ſeculi gravis commutatio metueretur. Per Pacis Oſnabrugenſis æterna decreta dati quidem ſunt Archiepiſcopatus & Epiſcopatus Principibus hæreditario poſſidendi, ut antea expoſui, ſed Proteſtantibus, ideoque circa religionem mutatum nihil eſt, Archiepiſcopatus tantum & Epiſcopatus in Ducatus & Principatus converſi, &, cum antea electitii eſſent, hæreditaria ſucceſſione certis Principibus dati, uti latius in Inſtrumenti Pacis tabulis ea exponuntur.

Sed jam ordo poſcit, ut ad Civilem quoque ſtatum & Leges Saxoniæ manuductionem noſtram protendamus. Dixi autem ſupra jam tum, Saxones Francis adunatos eodem modo gubernatos fuiſſe per Comites, & Miſſos primis Carolinis temporibus. Quorum Comitum in Saxonia noſtra tum magnus quidem numerus, parva potentia fuit, intra juris dicundi terminos conſtricta. Succeſſu tamen temporis alia illorum ratio eſſe cœpit. Cum enim, ut ſupra de pagis dixi, alii minores, majores alii eſſent, & ita quoq; Comites variarent, minores Comitatus cum majoribus in unum Comitatum amplum coierunt. Plures vero etiam Comitatus vel Epiſcopis vel Ducibus ceſſerunt. Unum notabile exemplum Comitatus, donatione Cæſaris Henrici IV. ad Adalbertum Hamburgenſem Archiepiſcopum tranſlati, producam, ex quo patebit, Comitis tamen conſenſum ad iſtam translationem fuiſſe requiſitum. Cum enim Cæſar in principio diplomatis expoſuiſſet, quomodo Adelbertus ipſe enumeratione præſtitorum officiorum, & per Principes plures, rogaſſet, ut ſibi *Comitatum, quem in Emiſcowa & Weſtphale ſitum Bernhardus Comes regendum utendumq; ſuſceperat, donaret*, hæc addit: *& quia ipſius Bernhardi Comitis ad hanc rem quærendus erat aſſenſus, ipſum vir ſapiens pretio & precibus adduxit, ut præſens laudator & aſſenſor exiſteret. Tum nos ipſi Archiepiſcopo Comitatum eundem, ipſo Bernhardo Comite laudante & aſſenſum præbente, Eccleſiæ Hammenburgenſi donavimus & tradidimus.* Maxima autem contigit mutatio, quando Comitatus ipſi primum, dein Ducatus quoque facti ſunt hæreditarii, indulgentibus id Regibus, ut contra externos hoſtes omnia pericula promptius adirent, non aliena defenſuri ſed ſua. Quamvis autem maxima deinde Ducum Saxoniæ eſſet auctoritas, ut Lotharii, ejus generi Henrici, & Henrici Leonis, plurimi tamen tum adhuc fuerunt Comites, ſed ſub Ducibus, ut ante expo-

ſui. Tardius deinde factum eſt,ut multi planè perirent, alii ſub Ducibus manerent, quidam in libertatem ita ſe aſſererent,ut immediatè ſub imperio eſſent. Comites illos omnes enumerare,& quomodo mutatio cum ſingulis contigerit,ad plenam Saxoniæ notitiam pertinet,hujus autem noſtri nunc non eſt inſtituti: de Ducibus verò jam tum actum eſt ſupra.

Leges potius conſiderandæ nunc ſunt, quibus Saxonia floruit olim, floretque. Quamvis enim poſterioribus temporibus, ut in alias regiones Germaniæ, ita in Saxoniam quoque Juris civilis Juſtinianei uſus pervenerit, tamen Carolino ævo & diu poſt longe aliter ſeſe res habuit. Jam tum autem multa præclara de ea re ſcripſerunt viri eruditiſſimi *Frid. Lindenbrogius* præf. in Codicem LL. antiquarum, & *Hermannus Conringius* in eximio libro ſuo de Orig. Juris Germ. c.13. addam tamen nonnulla ex mea obſervatione, cum præſertim illorum opiniones in omnibus approbare nequeam. Saxonum primorum, quando ſcilicet illorum ad nos pervenit notitia, ferociam & crudelitatem, barbaroſque mores, usque ad Carolum M. jam tum ſupra notavi, patetque ſatis ex illo inſtituto, quo decimum quemque captorum piaculari ſacrificio mactarunt,ut *Sidonius in Epiſt.* ad Nammatium ſcribit. Quid vero aliud exſpectares ab hominibus piraticæ aſſvetis? Suo tempore, id eſt Carolino, *Saxones neq; divina neq; humana jura polluere vel transgredi inhoneſtum arbitratos Eginhardus* ſcribit, quibus tamen notare ipſos, ut in toto capite illo, tanquam perfidos & fædifragos, quomodo etiam ab *Adelmo* in Annal. ad Ann. 785. vocantur, voluiſſe arbitror: aliàs oratoria magis locutione quàm vera id dixiſſet, & planè non conveniente cum iis, quæ ex libris deperditis ejus excerpta nobis conſervavit *Adamus Bremenſis* Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 5. Locus egregius eſt de Legibus Saxonum,nec obſervatus viris doctis, mereturque hic integer legi. *Legibus etiam ad vin-*

vindictam malefactorum optimis utebantur. Et multa utilia atq; honeſta in morum probitate ſtuduerunt habere, quæ eis ad veram beatitudinem promerendam potuiſſent proficere, ſi ignorantiam creatoris ſui non haberent, & à veritate culturæ illius non eſſent alieni. Harum legum mentio fit in Capitularibus Caroli M. de partibus Saxoniæ. In l. c. 32. de *Perjuris ſecundum legem Saxonum.* In 2. c. 7. *ſecundum eorum Ewa.* & c. 10. *ſecundum Euua Saxonum,* id eſt, leges. *Poeta Anonymus* auctor Annalium de geſtis Caroli vocat *Leges Patrias.* Ex quo autem à Carolo M. ſubacti ſunt, illæ patriæ leges, partim retentæ, partim aliæ à Carolo, ad Chriſtianismum ſpectantes, adjectæ, ut videre eſt ex *Capitularibus Caroli M. de partibus Saxoniæ* à Reverendiſſimo Principe *Ferdinando* ex Bibliotheca Vaticana editis, & *legibus* illis *Friſiorum & Saxonum* ab *Heroldo* publicatis & Codici Legum Antiquarum *à Lindenbrogio* inſertis; factum autem hoc conſenſu ipſorum Saxonum, ut jam ſupra monui. Non eædem tamen leges fuerunt omnium Saxonum, ſed, cum in tres populos eſſent diſtincti, *Weſtfalos, Angrarios* & *Oſtfalos*, tres etiam diverſas leges habuerunt, unde *triformi* ut *genere*, ita *lege* diviſos fuiſſe ad ſua usque tempora ſcribit Witichindus l. 1. Hinc in legibus Saxonum ab *Heroldo* editis diſtinctè ſcribitur. c. 7. *Oſtfalai & Angrarii volunt:* deinde: *apud Weſtfalaos poſtquam mulier.* & c. 8. *hoc apud Weſtphalaos: dein apud Oſtfalaos & Angrarios.* Ex quibus quidem locis colligi poſſet, *Oſtfalaos & Angrarios eaſdem leges, Weſtfalaos tantum* diſtinctas habuiſſe, & ita non triformi ſed biformi lege vixiſſe. Fortaſſis tamen non ſemper ita ſeſe hæc habuerunt: parvâ ad nos dilapſa harum rerum notitia. Id tamen certo poſſumus aſſerere, proprias fuiſſe has Saxonum leges & à Francorum legibus diſtinctas, uti ex *concilio Triburienſi* non *iisdem uti legibus Saxones & Francigenas*, ſcribitur *Decretalium Epiſt. Gregorii l. 4. tit. 1. c. 1.* Non omnia

omnia tamen ſcriptis comprehenſa, ſed plurima ex conſuetudine & uſu apud eos facta & judicata diſcimus ex hiſtoriis Saxonum & ex tabulis vetuſtis, in quibus frequens ad conſuetudines & morem Saxonum fit provocatio: ſuo tamen, id eſt, Ottonum ævo, *diligentiſſimè deſcriptam extitiſſe legem Saxonicam* ſcribit *Witichindus* l. 1. Quantus autem deinde ſeculo 13. legum Saxonicarum & Juris Weichbildici Magdeburgenſis cæperit eſſe uſus & auctoritas, adeo præclare docuit Cl. *Conringius* libro illo de Origin. Juris German. ut ad illum lectorem remiſiſſe ſatis fuerit. Recte etiam ibidem notat, in Bohemiam & Poloniam penetraſſe Jus Magdeburgenſe, nec in Polonia ſub Caſimiro magno primum id receptum, ſed jam ante ſub Leskone nigro circa An. 1286. Potuiſſet vero altius etiam repetere illius in Polonia ſedem ex *Cromeri* hiſt. Pol. l. 9. p. 167. qui jam tum ſub Boleslao Pudico, qui A. 1279. obiit, urbi Cracovienſi id datum refert, his verbis: *Civitatem vero Cracovicenſem Jure Saxonico ſive Magdeburgenſi, quod etiã Sredenſe ſeu Teutonicum vocant, quo pleraque oppida & vici & pagi utuntur in Polonia, ſtabilivit.* Ubi quidem, quid *Sredenſe* ſit, non intelligo, arbitror autem legendum *Stedenſe*, ut ſit idem, quod jus oppidanum, jus Municipale, jus Weichbildicum Stadt-Recht / quod per excellentiã Saxonico illi aliquando tributum fuiſſe conſtat. De juribus, quibus Tranſalbiani Saxones, ſeu Nordalbingi uſi ſunt, itidem non eſt res ſatis clara, & meretur exponi. Suevos Tranſalbianos, per quos Holſati & Stormarii intelligendi videntur, aliis legibus, quam Saxones, uſos, ſcribit *Witichindus* ſub Ottone I. hiſtoriæ ſuæ lib. 1. Non diu tamen poſt ab Haraldo Daniæ Regẽ Tranſalbianos leges ac jura accepiſſe narrant *Adamus Bremenſis* lib. 2. cap. 19. & qui eum ſequitur *Helmoldus* lib. 1. cap. 15. Non videntur tamen diu illa Jura ab Haraldo data retinuiſſe. Quamvis enim adhuc, id eſt, ad ſua usque tempora eos ſervare con-

tendiſſe

tendiſſe tam Helmoldus l. c. quam *Albertus Stadenſis* ad an. 974. ſcribant, tamen fidem non merentur, quia ipſiſſima verba *Adami Bremenſis* deſcribunt, & proinde hoc intelligendum videatur de temporibus Henrici IV. quibus *Adamus* vixit. Quin ipſe *Helmoldus* lib. 1. cap. 48. ſcribit tres eſſe Nordalbingorum populos, Stormaros, Holſatos, Thetmarſos, nec habitu, nec lingua multum diſcrepantes, *tenentes Saxonum jura.* Quorum autem Saxonum, Weſtfalorum an Oſtvalorum? quoniam reticet, neſcire & nos cogimur. Hæc autem ſine dubio Saxonum jura fuerunt, quorum Holſati dein adeo tenaces, Danis cogentibus, ea dimittere, Danicaque recipere noluerunt, ut ex inedito *Helmoldi continuatore*, Bremenſi presbytero, notat *Lambecius* Rer. Hamburg. t. 1. p. 102. In Urbibus tamen Nordalbingiæ factam ſenſim mutationem obſervare eſt. Nam & non paucæ jus Lubecenſe deinde acceperunt, Holſatico ſeu Saxonico abolito, quod nec de urbe Hamburgenſi negare velim, etſi dein an. 1258. à Johanne & Gerhardo Holſatiæ Comitibus jus oppidanum, quod Wikbildesrecht appellatur, illis datum ſit. Producit Diploma *P. Lambecius t. 2.* Rerum Hamburgenſium n. 175. & deinde oſtendere nititur, jus illud Wicbildicum eſſe jus Magdeburgenſe, cui conſentit Cl. *Herm. Conringius*, l. de Orig. Jur. Germ. c. 29. Ego autem non in ſpecie Magdeburgicum illud Municipale jus indigitari hîc puto, ſed tantum municipale jus, quo tum temporis uſi Hamburgenſes in reliqua urbe, conceſſum illis etiam eſſe intra præſcriptos terminos. Id quidem conceſſerim, ſeculo decimo quarto, conſcripto jam illo Weichbildico Jure, quod hodie habemus, ubi Weichbildici juris mentio fit, non aliud quam Magdeburgicum eſſe intelligendum, ante tamen illa tempora quodvis municipale jus illo nomine denotatum arbitror juxta originem ſeu ſignificationem vocis, cum deinde translatam vocem ad jus municipale negare non audeat

Grypbi-

Gryphiander l. de Weichbildis Saxonicis c. 82. ratione etymologiæ abunde refutatus ab Illuſtri Dn. Joh. Frid. Rhætio Diſput. Juris. Publ. I. In privilegio Friderici II. Imp. A. 1226. Urbi Lubecenſi dato hæc verba habentur: *Concedimus etiam eis inſulam ſitam contra caſtrum Travenemunde, quæ Privvolc nominatur, jure civitatis de cetero poſſidendam, quod Wibelede dicitur.* Ubi primo aut ipſum Diplomatis Cæſarei auctorem male ſcripſiſſe, aut notarium male deſcripſiſſe, ſuſpicor (ita enim editæ hæ tabulæ ſunt, cum ante octodecim annos inter Magiſtratum Urbis ampliſſimum & cives controverſiæ eſſent ortæ) cum omnino legendum ſit *Wicbeld*, & ita etiam legatur in antiqua verſione Germanica: deinde non intelligendum hic eſſe Magdeburgicum municipale, ſed ipſum municipale Lubecenſe, quo utebantur. Et ita quoque jam tum Wicbildico, id eſt, municipali jure uſos Hamburgenſes, anno 1258. à Comitibus Holſatiæ dato, arbitror, qui deinde anno 1292. ipſi Magiſtratui poteſtatem condendi juris municipalis conceſſerunt, ut rectè notat *Lambecius.* Imprimis vero Wagriæ Urbs *Lybeca* jure ſuo florere, illudque aliis rogata impertiri cœpit, ut *multas vicinas* (imo longè quoque remotas) *urbes ab ea leges, non minus atque ab Athenis Atticis Romam, accepiſſe, & hodieque obſervare*, rectè ſcribat Cl. *Conringius.* Mira ſane in his verſus Septentrionem locis, & non ſine ſummo benigni Dei beneficio accidit mutatio, ut, quæ quondam aut planè non, aut ſola ſua Barbarie, memoranda erant, juſtitiæ & bonarum legum fama in longe remotis oris inclareſcerent. Lybecam hoc nomine in Italia & Gallia Tranſalpina ſuperiori ſeculo celebrem fuiſſe, ex incomparabilis viri *Julii Cæſaris Scaligeri* Epigrammate diſcimus, quod breve, ſed rotundum, & laudi urbis totum conſecratum, non poſſum non apponere.

Si referam, mihi quis credat, ſub limina mundi
Vltima, legiferi jura vigere Dei.
Ingenium, candorem animi, cultumq́, fidemq́,
Fortiaq́ invicta pectora pura manu.
Dum mirata ſtupet terras Aſtræa relinquens,
Atque putat cæli regna, reſedit ibi.

Referenda autem eſt, me judice, Juris Lubecenſis Origo ad Henricum Leonem, Ducem Saxoniæ, & Urbis Dominum, quamvis à doctiſſimis Viris non tantum hac de re dubitari, ſed & contrarium aſſeri obſervem. Dabo id patriæ meæ Urbis *Lubecæ* honori, & ſimul cultui, quo *Henricum Leonem*, Sereniſſimorum Dominorum meorum progenitorem proſequor, ut & in originem illius juris primam inquiram, Principemque, belli gloria maximum, illius quoque Juris auctorem eſſe oſtendam, quod longè lateque dein ad mare Balticum diffuſum fuit: quamvis inter initia tale non fuerit, quale nunc publicè proſtat. In diplomate Friderici I. Urbi Lubecenſi dato An. 1188. memorantur Jura ejus, dum *permittitur civibus, ut quicunq́ illorum ſupra quacunq́ cauſa conveniatur per omnes imperii fines & per Ducatum coram loci illius judice ſe expurget absq́ captione ſecundum jura jam dictæ civitatis.* In eodem conceditur *ſingulari quadam gratia, ut quicquid intra civitatem ſui juris poſtea emendare voluerint, emendare non obmittant.* Quæ verba omnino de municipali jure accipienda ſunt. In privilegio Friderici II. Imp. urbi An. 1226. dato, etiam horum fit mentio, & diſtinguuntur à conſuetudinibus non ſcriptis: *concedit enim & confirmat Lubecenſibus in perpetuum eorum jura & omnes bonos uſus & bonas conſuetudines, quibus tempore Imperatoris Friderici avi ſui felicis memoriæ uſq́ tunc uſi fuiſſe noſcuntur.* Et hæc jura à Friderico I. Cæſare Urbi ante-

antequam eam intraret confirmata, ſcribit *Arnoldus Lubecenſis* l. 2. Chron. Slavic. c. 35. loco ſatis noto, & à Viris CLL. *Joh. Gryphiandro* & *Hermanno Conringio*, aliisque adducto & examinato: *Verùm*, inquit, *priusquam ei* (Imperatori) *civitatem aperuiſſent, exierunt ad eum rogantes, ut libertatem civitatis, quam à Duce* (Henrico Leone) *prius traditam habuerant, obtinerent, & juſtitias, quas in privilegiis ſcriptas habebant, ſecundum Jura Soſatiæ, & titulos* (in Ranzoviano Codice habetur, *terminos*, &, forte non male, quoniam in Privilegiis Impp. illa vox occurrit) *quos in ſylvis, paſcuis, fluviis, poſſederant, ipſius auctoritate & munificentia poſſiderent. Imperator vero annuit petitioni eorum.* Dubium autem videri poſſit, an ibi *Juſtitia* denotet jus municipale, an tantum jus aliquod utendi ſylvis, paſcuis & fluviis circa urbem, quo inclinant *Conringius, Lambecius, Bangertus.* In Privilegio Hamburgenſibus à Frid. II. An. 1232. dato, confirmatur illis à Comite Holſatiæ conceſſum jus, *ſecundum antiquam juſtitiam Lubecenſium in bonis & jure ſuo*, ubi itidem *Conringius* ac *Lambecius* hæc verba accipiunt, ac ſi concedatur libertas tantum eodem jure poſſidendi ſua, quo ex antiquo Lubecenſes, cum de ipſo jure id intelligi nequeat, quo ſcilicet unquam uſos eſſe Hamburgenſes, contra *Spangenbergium* & *Thracigerum* negant. *Adamus Thraciger* tamen, qui Urbis Hammenburgenſis Syndicus fuit ad An. 1227, *Juſtitiam Lybecenſium* jus eorum municipale interpretatur: qui quamvis in temporum ratione vehementer erret, non videtur tamen jura Urbis ſuæ ignoraſſe. Quin in privilegio Adolphi IV. Hamburgenſibus dati, quo à Patre Adolpho III. conceſſa immunitas confirmatur, in fine hæc leguntur: *Et in paſcuis & in lignis ad comburendum libertate gaudebunt quam conſtat retroactis temporibus poſſediſſe, & in reliquis jure fruantur Suſatenſium, & Lybecenſium.* Quæ ultima ita exprimuntur in privilegio Alberti, Comitis Orle-

mundæ, & aliquamdiu]Holſatiæ, datoHamburgenſibus: *&* *ſecundum juſtitiam Lubecenſium in omnibus ſe habeant.* Et in privilegio Hamburgenſibus An. 1264. à Gerhardo Comite Holſatiæ dato, apud *Lambec. t. 2. Rer. Hamburg.* p. 165. *Inſuper omnem juſtitiam, qua Lubecenſes in eorum civitate frui ſolent, præfatis noſtris civibus conferimus & donavimus.* Verum, quicquid de Hamburgenſibus ſit & ſenſu verborum *Arnoldi*, ſi conſideremus, quomodo ipſi Lubecenſes non diu poſt, quando aliæ urbes ab illis jus municipale petierunt, & in ſcriptis acceperunt, publicè profeſſi fuerint, ſe non libertatis tantum privilegia, ſed ipſum etiam Municipale jus ab Henrico Leone habere, ab illis, hac in re fide digniſſimis, & omni exceptione majoribus, antiquam hujus juris originem ſatis aſſertam arbitror. Non ego nunc adducam omnia, quæ de jure Lybecenſi, aliis Urbibus Holſaticis & Wandalicis communicato, poſſent adferri, cum præſertim diligenter id egerit *Joh. Sibrandus.* part. I. Juris Publ. Lubec. ſect. X. poſſintque reliqua ex hiſtoria dictarum urbium facile adjici. Quædam tantum adducam, ea, quæ hactenus contra alios aſſerui, probantia. *Anonymus Helmoldi continuator*, presbyter Bremenſis, hactenus ineditus (apud *Cypræum* in Annalibus Sleſvic. p. 252.) narrat, Adolphum IV. Comitem Holſatiæ, quem antea Hamburgenſibus jure Lubecenſi fruendi poteſtatem conceſſiſſe memoravi, An. 1238. *oppidanis in Jetzeboe dediſſe privilegium habendi jus Lubecenſe, ſimulq; libertatem illi in oppido in paſcuis & ſylvis: oppidanis quoq; per terram Holſatiæ ſcilicet in Plone, Oldenborg & Kylone libertatem ac immunitatem conceſſiſſe à jure* Holſatiorum, *conſtituiſſe ac attribuiſſe eis jus Lubecenſe.* Ubi *Jus Lubecenſe* appellatur, quod aliis *juſtitia*, diſtingviturque ut *à libertate in paſcuis, ſylvis*, ita *à jure Holſatorum*, non ſecus ac apud *Arnoldum* à libertate in paſcuis, & ſylvis. Hoc jus tanquam melius, æquius & ad commercia

aptius,

aptius,tanquam gratiam aliquam,per privilegium,conceſſerunt Principes civitatibus ſuis, fueruntque illius ita tenaces Lubecenſes, ut poſtquam ſemel ab Henrico Leone acceperant, nec Friderico I. ante ſeſe dedere vellent, quam libertatis & *juſtitiæ* hujus conſervationem impetraſſent, ut narrat *Arnoldus*, nec deinde Waldemarum Ducem, Regis Canuti fratris ſui nomine eam obſidentem reciperent, quam de *ſuis legibus ac jure, quomodo uſi fuiſſent ſemper*, caviſſet, ut narrat *Pontanus* in hiſtor. Danica. *Jus* autem ſuum, ſeu *juſtitiam* ſcriptam aliis petentibus dabant, procemiumque illi præmittebant, cujus exemplum, cum meam de primo Autore Henrico Leone ſententiam probet, proponam, uti illud ex Authentico deſcriptum Topographiæ ſuæ Holſaticæ inſeruit *Danckwertus*. p. 85. *Anno Dominicæ Incarnationis 1243 regnante Sereniſſimo Domino noſtro Friderico II ſemper Auguſto, Jeruſalem & Siciliæ Rege conſcribi fecerunt conſules civitatis Lubecenſis Civitati Tunderenſi, ob honorem & dilectionem Domini Abel, illuſtris Ducis Jutiæ & ad inſtantiam ac petitionem fratris Reinardi Ordinis Fratrum minorum Daniæ miniſtri & etiam pro dilectione civium de Tundero Juſtitiam civitati Lubecenſi à glorioſo fundatore dictæ Civitatis piæ memoriæ Domino Henrico, Duce Sveviæ, Bavariæ, Saxoniæ, Angariæ & Nordalbingiæ, indultam & privilegiatam, poſtmodum vero à glorioſiſſimo Roman. Imperatore Friderico I confirmatam & ſuo ſtabilitam privilegio, deinde à Regibus, Principibus & Dominis approbatam & roboratam, nunc autem à Sereniſſimo Domino noſtro Roman. Imp. Friderico II, Jeruſalem & Siciliæ Rege, qui nunc regnat, privilegiatam, ſtabilitam & confirmatam. Omnibus hanc juſtitiam ſervare volentibus gaudium ſit & pax in Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui eſt benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.* Quid clarius, quid apertius dici poteſt? An igitur adhuc dubitandum, num Lube-

 cenſes

cenſes tempore Friderici I. jure ſcripto municipali uſi fuerint? Videntur vero tali ſemper uſi eſſe procemio Lubecenſes, cum non abſimile ſit, quod præfixerunt Juri ſuo, A.1254 ad inſtantiam Magiſtri & Fratrum Ordinis Teutonici in Livoniam illis & Urbi Memelenburgo miſſo, ubi etiam ab Henrico Leone, fundatore ſuo, datas ſibi leges, à Friderico I. confirmatas, & noviſſimè à Friderico II. aurea bulla roboratas ſcribunt. Verba ipſa Germanica deſcripta *Joh. Sibrandus* loco ſupra citato habet, ubi tamen pro Friderico I. malè ſcribitur Fridericus II. Quis vero jam amplius dubitet de Auctore Lubecenſis Juris, cum ipſi Conſules & Senatores Lubecenſes Henricum Leonem agnoſcant, illo tempore, quo ſciri hæc adhuc potuerunt, nec memoriam hominum effugerunt, nec, cur fallere voluerint, ulla poſſit eſſe ſuſpicio? Patet vero jam etiam, quænam ſint illæ *juſtitiæ, quas in privilegiis ſcriptas habere Lubecenſes* aſſerit *Arnoldus*, quarumque in Diplomatibus toties mentio fit. Verùm, poſtquam Auctorem hujus Juris oſtendimus, id quoque inquirere non fuerit inutile, an Henricus Leo illud Jus conſcribi primus fecerit, an aliunde acceptum Lubecenſibus dederit, more non inſolito, ut leges ab aliis populis, qui per eas aliquamdiu floruiſſent, fauſto omine & paris felicitatis ſecuturæ præjudicio, peterentur. Conſules Lubecenſes ſimpliciter ſcribunt *Henricũ Leonem juſtitiam indulſiſſe & privilegiaſſe.* Aliunde autem leges acceptas, probabile fit, ex loco citato *Arnoldi Lubecenſis*, ubi notat, *juſtitias in privilegiis ſcriptas habuiſſe, ſecundum jura Soſatiæ.* Ita enim habent conſtanter omnes codices. Ideoque vocem illam ſollicitare noluit doctiſſimus editor *Arnoldi, Reinerus Reineccius*, ſed conjecturis potius indulgere, adſcripſitque in margine: *Forte Suſatum oppidum intelligit.* Cujus conjecturam ſecutus *Avus meus in Not. ad Witichind.* ſcribit, jura Soſatiæ, ſive Suſatiæ, à Suſato oppido ita dicta, in veteri Saxonia

nia plurimum viguiſſe, eaque Henricum Leonem, cui Suſatum ſuberat, novæ urbi Lubecæ dediſſe. An ex *Arnoldi* loco id tantum colligat (ubi tamen non niſi conjecturæ locus) an aliunde habuerit notitiam, haud ſcio. Secuti tamen ſunt ejus ſententiam plurimi, & hæc tanquam certiſſima tradiderunt, ut *Gryphiander*, qui lib. de Weichbildis Saxonicis.c.80.n.15.ſcribit, ſe non potuiſſe indagare quale fuerit Suſatenſe jus, niſi illud Jus Vehmicum vicinæ civitatis Tremonicæ redolere quis opinetur; à quo tamen toto cælo abfuit, ſi Lubecenſis, æquiſſimi juris, fons fuit. *Danckwert.* Topogr.Holſ. p. *216.* ſcribit, Lubecenſe jus maximam partem ex Suſatenſi fuiſſe deſumptum: *Jac. Andreas Cruſius* Prolegom. in Statut. Mindenſia c. 2. exiſtimat, Mindenſes, antequam anno *1256.* peculiaria Statuta acciperent, jure Suſatenſi uſos: omnes nullo argumento, inani conjectura, quæ tam facile rejici, quam proponi poteſt. Fuerunt igitur, qui pro *Soſatiæ* legerent *Holſatiæ*, quorum ſententiam improbat Avus meus. Illam tamen etiam ſecutus eſt Celeberrimus *Conringius*, & auctoritate ſua in aſſenſum traxit *Lambecium* in Orig. Hamburg. t. 1. & *Bangertum* in Not. ad Arnoldum, utrumque virum itidem doctiſſimum. Verum, quas *juſtitias* dedit Lubecenſibus Henricus Leo, & confirmavit Fridericus I. eas *ſecundum jura Soſatiæ* fuiſſe ſcribit *Arnoldus*; Holſatica vero jura à Lubecenſi, diverſa fuiſſe ex loco *Anonymi continuatoris Helmoldi* ſupra citato clarum eſt, cum ab Holſatorum jure immunitas conceſſa, & Lubecenſe datum, ut oppida melius florerent, memoretur. Extat vero diploma Adolphi IV. quo à Patre Adolpho III. conceſſam Hamburgenſibus immunitatem confirmat, hac Clauſulâ notabili: *Et in reliquis jure fruantur Suſatenſium & Lubecenſium.* Quo quidem *Reineccii* & *Avi* mei conjecturæ plurimum confirmantur. Vidit, & adduxit has ipſas Adolphi tabulas *Lambecius* part.

1. Orig.

1. Orig. Hamb. p.101. verùm & ibi pro *Suſatenſium* legendum putat *Holſatenſium*. Quanta libertas! quanta Critici licentia! An probabile eſt, & in *Arnoldi* codicibus, & in illo Diplomate pariter, deſcriptoris errorem eodem modo intercurriſſe, & pro notis vocibus *Holſatiæ* & *Holſatenſium*, utrobique ignotiores illas *Soſatiæ* & *Suſatenſium* ſubſtitutas? credat, cui libitum eſt: non ego. Mihi propter illas tabulas rectè ſe habere lectio in *Arnoldo* videtur, exq; illis hunc explico, cumque nullum ſit Suſatum, niſi illud in Weſtfalia, in illa urbe, jam tum Leonis ævo celebri & florente, jus aliquod viguiſſe credo, quod Lubecenſi ortum dederit. At, inquis, quomodo ex Weſtfalia in Wagriam remotam jus illud pervenit? Per Henricum Leonem, utriusque Ducem. Occaſio vero inde etiam exiſtere potuit, quod in terram Wagirenſem à Comite Holſatiæ vocati venerint Weſtfali, & incoluerint pagum Dargunenſem, ut annotat *Helmoldus* l.1. c.57. quamvis deinde à Slavis vaſtati: quod itidem in vicinam terram Polaborum à Comite Raceburgenſi Henrico adducta narretur multitudo populorum de Weſtfalia ab eodem *Helmoldo* l.1. c.91. Quin imo in Annalibus patriis inter primos Senatores Lubecenſes, non tantum An. 1156. Dietricum de Harlau ex Weſtfalia, Johannem de Kahmen ex Unna, & Gieſebrechtum de Warendörf reperio; ſed etiam Volkwinum de Suſato & Hermannum de Suſato An. 1161. Cur igitur in tanta Weſtfalorum & Suſatenſium copia in Wagria non potuerit Jus Suſatenſe innoteſcere, recipi, & à Duce, Urbis Suſati domino, peti, impetrari & confirmari? Habuerunt vero Weſtfali etiam ſuas leges, ab Oſtfalis & Angrariis diſtinctas, uti ſupra oſtendi ex illis Saxonum Legibus, quæ in corpore *Lindenbrogiano* extant. Ubi quidem, cum in Leg. VIII. hæc verba inveniam: *De eo quod vir & mulier conquiſiverunt, mediam portionem accipiat, hoc apud Weſtfalaos. Apud Oſtfa-*

Oſtfalaos & Angarios nihil accipiat, ſed contenta ſit dote ſua, mirari ſubiit, cur Weſtfalis potius, quàm vicinioribus Oſtfalis ſimilia ſtatuta ſint in *jure Lubecenſi*, part. 2. tit. 2. art. 12. Conjectura igitur fortaſſis non abſurda dixerim, hæc cum aliis ex antiquo jure Weſtfalico, & in ſpecie Suſatenſi, in jus Lubecenſe fluxiſſe. Sed de his ſatis.

Recenſendi tamen adhuc ſunt, ut inſtituto meo ſerviam, (quamvis non paucos jam tum memoraverim) & quidem aliquo ordine temporis obſervato, Scriptores illi, qui à Carolo M. ad noſtra uſque tempora Hiſtoriam Pragmaticam Saxoniæ, res ſcilicet pace & bello memorabiles, expoſuerunt. Utinam autem non defuiſſent Saxoniæ noſtræ magna Scriptorum ingenia, fortaſſis haud alia terrarum pars eſſet celebrior, aut fæcundior Heroum mater cenſeretur! Ita enim ferè ſit, ut tanta habeatur à poſteris cujusq; virtus, quantum verbis eam potuerunt extollere diſertiſſimi viri. Cogimur interim contenti eſſe iis, qui quomodocunque & ruditer ſimpliciterque ſcripſerunt, ſed dolemus non eos omnes ad nos perveniſſe temporum injuria, & incurioſi ævi negligentia: tanta proinde majori laude dignis, qui hoc & ſuperiore ſeculo ex clauſtris cum tineis blattisque certantes & ſemi corroſas chartas publicis typis expoſuerunt, reliquisque MStis pretium majus & accuratiorem cuſtodiam conciliarunt. Antiquisſimum rerum Saxonicarum ſub Carolo M. & Ludovico Scriptorem habemus *Einhardum* vel *Eginhardum*, Caroli] Capellanum ſeu Cancellarium primò, dein Monachum & Abbatem Seliſtadienſem, non Saxonem tamen, ſed Francum Orientalem ex nemore Ottonio oriundum. Scripſiſſe illum Geſta Caroli, non tantum ex *Lupi Abbatis* ad eum epiſtola, *Adamo Bremenſi* & *Sigeberto Gemblacenſi* ſcimus, ſed etiam ipſum illud opus, ab *Hermanno Comite Nuenario* primùm editum, vitam Caroli continens, habemus, cum in omnibus codicibus MStis non

alium titulum habeat, quam *Geſta Caroli.* Diſcimus tamen præterea ex *Adamo Bremenſi* Hiſt. Eccleſ. c. 30. ***Einhardum dulci calamo geſta Saxonum proſequutum***; quod quidem opus, inſigni Saxonicæ Hiſtoricæ jactura hodie dependitum, ſuo ævo *Adamus* habuit, & ex eo Excerpta quædam initio hiſtoriæ ſuæ nobis dedit. *Scholiaſtes Adami* huj⁹ refert, ***Einhardum ex Capellanis Caroli Imp. vitā ejus deſcripſiſſe ac bella Saxonum.*** Neſcio autem, an ille Anonymus, nec ſatis vetuſtus, Scholiaſtes accuratè ſatis de titulo libri loquatur, & an ipſe legerit, & an non idem ſit cum eo, quem de Geſtis Saxonum memorat *Adamus*. Quicquid autem ſit, periit ille, quantum mihi conſtat. *Annales* enim *Francorum*, ab eodem *Nuenario* publicatos, nec pro hoc deſiderato libro habere, nec ab *Einhardo* ſcriptos doctis concedere poſſum, nullo in iis ***dulcis illius calami***, Adamo memorati, extante veſtigio. Contenti igitur eſſe illo libro, quo vitam Caroli deſcripſit *Einhardus*, cogimur eſſe, in quo etiam de Saxonia agit, & Caroli bello Saxonico, paucis quidem, cum alibi latius id egiſſet, ſed nervoſè. Primum autem hujus ſcripti editorem *Hermannum Comitem Nuenarium*, doctrina non minus, quàm genere illuſtrem & integerrimum virum, culpat *Marquardus Freberus*, quod non in edendo toto contextu antiquum codicem ſimpliciter ſecutus fuerit, ſed ævi illius qualemcunque phraſin floridiore paſſim permutaverit; in quo *Freherum*, quamvis non nominet, ſecutus parum mutatis verbis idem monet *Joh. Gerhardus Voſſius*. Defendit vero *Nuenarium* & ab hac culpa liberare nititur, & ne unum quidem apicem à MStis abiiſſe aſſerit in commentario ſuo ad Eginhardum eruditus & longiore vita digniſſimus Vir *Fridericus Beſſelius*. Non eſt autem hîc de toto Scriptoris modo, integroque ſtylo qui elegans, & in quo Svetonii imitationem dudum deprehendit *Iſaacus Caſaubonus*, quæſtio, ſed de vocibus tantùm quibusdam, quæ puri-

tatem

tatem licet affectanti, Romanosque Scriptores imitanti, tamen à ſeculo adhæſerunt, & vitari non potuerunt, quas elegantioribus & Latinis melioribus mutatas ferre non potuit *Freberus*. Has autem *Nuenarii* editoris opera alicubi acceſſiſſe, cum in MStis non habeantur, etiam ſuſpicor. Ipſe, cum ante viginti quatuor annos Florentiæ Sereniſſimi Magni Ducis clementia, parariis nobiliſſimis & eruditisſimis Viris, quos plures tum Florentia habebat, & ex quibus adhuc ſupereſt Illuſtris *Magliabechus*, laude mea major, Laurentianæ Bibliothecæ MStis Codicibus uterer, inveni ſcamno LXV. membranaceum Codicem antiquum, quo præter alia continebatur *Einhardi* opus ſub nomine *Geſta Caroli*, cum quo editum diligentiſſime contuli, & variantes has lectiones cum modo dicto *Beſſelio* communicavi. Obſervavi autem non paucas voces & phraſes in *Nuenariana* editione mutatas, ut vel in uno capite VII. de bello Saxonico, ubi pro *viciſſitudinem reddere*, *vices reddere*, pro *non ſitut ſatis æſtimare*, *ut non facile æſtimare poſſis*, pro *donec*, *uſq; dum*, pro *parvulis*, *liberis*, ſecus ac in MSto habetur, licet videre. Ut ita recte quidem ſe habeat *Freberiana* obſervatio, non tamen adeo graviter peccarit *Nuenarius*, qui in iis, quæ ad hiſtoriam pertinent, nihil mutarit: quamvis in alieno opere ingenioſus eſſe nemo debeat, & illi medii ævi ſcriptores ſuo ſtylo & juxta formulam ævi non immutata ſcribendi ratione omnino publicandi ſint. Manet igitur ſua laus *Eginharto*, optaremque, ut reliqua ejus de geſtis ſeu bellis Saxonum extarent. *Wolfg. Lazius* de Migr. gent. l. 3. p. 50. *Werymberti* S. Galli Abbatis librum, quem de bellicis geſtis Caroli M. ex relatione Adelberti cujusdam militis, qui omnibus Caroli geſtis interfuerat, ſcripſit, inter alia multa repertum, & ex ſitu à ſe erutum memorat: publicæ tamen luci expoſitum eum haud ſcio, quamvis ſine dubio de graviſſimo quoque Saxonico Bello Caroli egerit. Extant vero *Annales Francorum à Nuenario* itidem editi, ab aliis male *Eginbardo*, ab aliis *Adelmo* vel

Ademaro monacho adſcripti, qui, quemcunque etiam auctorem habeant, res Caroli in Saxonia geſtas non parum illuſtrant. In omnibus etiam aliis Caroli & Ludovici Pii rerum Scriptoribus, à Germanis pariter & Gallis paſſim publicatis, non tamen à me hîc memorandis, reperire nonnulla huc pertinentia licet. Unius tamen iterum mentio facienda, quem aliquoties memoravimus, Poetæ, Arnulpho æqualis, quem Paderbornenſem fuiſſe veroſimiliter conjicit *Ferdinandus* Epiſcopus Monum. Paderb. p. 47. Is enim primus omnium Saxonum eſt, cujus ad nos hiſtoria pervenerit, qui quamvis Annales Francorum modo dictos & Eginhardum ſequi & ſolutæ orationi ligatam tantum ſubſtituere videatur, tamen non pauca habet aliis planè indicta, vel non eo modo dicta, quæ ſine dubio ex aliis libris *Eginhardi* deperditis deprompſit, ceu primus editor *Reineccius*, cum in præfatione, tum alibi in notis oſtendit, ut non tantum ipſe annalium conditor ab Hiſtoriæ Patriæ amantibus legi debeat, ſed Reineccianæ quoque ampliſſimæ notæ, quibus plurimum Veteris Saxoniæ hiſtoria illuſtratur. Quando deinde Saxones ad Regni Germanici & Imperii apicem in Henrico ejusq; filio & nepotibus Ottonibus pervenerunt, res illorum illuſtriores diligentiorem quoque conſiderationem merentur. Nacti vero tum ſunt egregium ſcriptorem *Witichindum* Monachum Corbejenſem, qui Henrici & Ottonis M. res geſtas accuratè & fideliter, σύγχρονος eorum & αὐτόπτης pene, iis Annalibus explicuit, qui hodieque ex reliquis ejus ſcriptis ſuperſunt, quosque altera vice *Reinerus Reineccius*, tertia avus meus *Henricus Meibomius* edidit, ope MSti codicis adjutus, additis notis Hiſtoricis pluribus, quas placuiſſe viris doctiſſimis & harum rerum peritis non tantum ex iis, quibus eas mactant, elogiis didici, ſed etiam inde colligo, quod alii, tacito nomine, non paucas ejus obſervationes ſuas eſſe voluerint. Addidit vero iſti editioni ſuæ *Roſwithæ*

quoque

quoque Monialis Gandersheimenſis Poema, & alia Ottonum hiſtoriam illuſtrantia, quæ rerum Saxonicarum cupidis diligenter evolvenda ſunt. Poſt quos memorandus eſt merito ſuo, ex illuſtri Comitum Saxoniæ Walbeccenſium domo, *Dithmarus*, Epiſcopus Mersburgenſis, qui Chronicorum libris VIII. Impp. Saxonicorum, Henrici, Trium Ottonum ac Henrici II. res geſtas complexus eſt, ſcripſit vero eam An. 1017. Omnium primus ille eſt, qui ex Germaniæ optimatibus hiſtoriæ patriæ ſcribendæ manum admoverit, vel eo nomine ſuſpiciendus. Quo autem genere ortus, & quantum ex illo proficere liceat, jam tum præclare primus editor ejus *Rein. Reineccius* in præfatione expoſuit. Sæpe tamen, quando ipſum evolvo, in mentem mihi venit judicium *Philippi Melanchtonis*, qui eum nondum editum, *Spalatino*, à quo An. 1530. legendus datus, his verbis remittit: *Quod inſpiciendum mihi dediſti Hiſtoricum Mersburgenſem, gratiam tibi habeo: nam humanitate tua delector. Hiſtoricus ipſe minus me delectavit. Miror, homines aulicos ne vidiſſe quidem, quæ res eſſent mandandæ litteris. Nugas ceremoniarum recenſet, res graviores prætermittit.* Sed hæc ſeculi iſtius labes. Recudi *Dithmarum* nuper fecit diligentiſſimus Vir, amicus quondam noſter, *Joh. Joachim. Maderus*, ſed imperfectum ſecutus exemplar Reineccianum. Extat autem ipſum *Dithmari Autographum* in Electorali Saxonica Bibliotheca, cum quo collatum exemplar poſſideo, cujus integritatem colligere licet ex iis lacunis, quas in Notis ad Witichind. & in Chron. Walbeccenſi ſupplevit Avus meus. Operæ vero pretium eſt, ut ad cognoſcendam ſub Henrico & Ottonibus Saxonicam hiſtoriam recentiores etiam addantur, qui ex vetuſtis monumentis Imperatorum eorum omnia collegerunt, & collecta digeſſerunt, examinaruntque, quos inter imprimis laudo, multis aliis nominibus celeberrimum, *Joh. Henricum Bœclerum*, in

Serie Germanicorum Cæſarum, cui magno judicio ſcriptum commentarium adjecit: & *Johannem Conradum Dieterichium*, qui magnam diligentiam Romanorum quorundam Impp. hiſtoriæ impenſam ad Saxonicos quoque Reges & Imperatores feliciter extendit. Utinam vero tandem prodirent, quæ illuſtris & magnæ dignitatis Vir, *Johannes Philippus à Voorburg*, Præpoſitus monaſterii grandis vallis, conſiliarius Moguntinus & Herbipolenſis, cum ad omnis hiſtoriæ Germanicæ, tum Saxonicæ imprimis, illuſtrationem dudum promiſit. Uti enim Vir ille in tanta dignitate, tot inter Reip. curas & ejus cauſa obitas legationes, incredibilem Hiſtoriæ Germanicæ apparatum ſine exemplo congeſſit, tot documenta ſitu & ſqallore obſita ex monaſteriorum Principumque Archivis eruit; ſic exactiſſimum ipſius judicium & imprimis φιλαλήθεια, quæ in duodecim integris Tomis præliminaribus nulla non pagina apparent, omnes rei peritos incitant, ut ab hæredibus tantum opus, ad Germaniæ & Saxoniæ æternum decus, expoſcant. De quo maximo viro antequam ſermonem claudam, non poſſum non publici boni cauſa quædam notabilia verba ex inedita vita ejus, cujus brevem conſignationem ipſe ſenex fecit, hîc apponere: *Quas moleſtias, ſudores, labores in iis* (operibus ſcilicet hiſtoricis concinandis) *ſuſtinuerim, dici vix poteſt, & tamen in his etiam, ſcribendæ hiſtoriæ difficultate, cura, ſollicitudine, vigilantia, incommodo, ſumptu & opere quotidiano, tam duro, difficili & arduo nunquam fractus fui. Quin ad hanc uſq; horam, eadem qua ab initio, voluptate teneor, nec à moleſtiis, curis, ſumptu, objici mihi moram patior. Unum miror, quod, quando interdum, in uno aut altero loco, ex documentis ſitu & pulvere obſitis, & forſan nunquam lucem aſpecturis, ſed inter tineas & blat-*

tas

tas tandem perituris, notitias quasdam peto, id à noſtris Principibus, qui tamen aliàs vanæ gloriæ, ſed non diu duraturæ, tantopere ſtudent, & imprimis etiam Eccleſiaſticis, id planè non æſtimetur, veluti Archivia ipſorum perpetua futura, & tot imperiorum, ex quibus nullum amplius Archivium exſtat, & pro his ſola Hiſtoria defectum ſupplere debet, ſortem nequaquam ſubitura eſſent: quod ego ſæpe valde ridere debeo. Egregiæ & liberæ & tanto viro dignæ voces! Sed ad Henrici IV. tempora nunc delabor, cujus hiſtoria tanto magis Saxones noſtros tangit, quanto crudelius & diuturnius fuit Bellum civile ab ipſo contra Saxones geſtum. Bonum vero factum, quod illorum temporum Hiſtoricum habeamus, Hersfeldenſem quidem cænobitam tantum, ſed virum rerum ſeculi peritiſſimum & prudentia inſignem, *Lambertum Schafnaburgenſem*, quem ultra ævum ſapere, antiquis multis parem, recentioribus plurimis ſuperiorem omnes fatentur, nec in eo temere aliquid culpant, præterquam quod ſtudio Romani Pontificis Henrico IV. Imp. videatur iniquior. Extant vero alii etiam, qui de *bello illo Saxonico* ſeorſim commentati, ut *Bruno*, editus à *Frebero*. Reliqui aliis Henrici IV. rebus geſtis immerſas Saxonicas obiter narrant. Non tamen ego nunc omnes illos, qui Henrici temporibus vel ab ejus parte, vel pontificis, hiſtoriam ſcripſerunt, ad examen vocabo, cum alterius id ſit operæ, unius tantum *Anonymi*, cujus *de vita Henrici* ſcriptum, ſæpius recuſum habemus, propter *Reinerum Reineccium* noſtrum faciam mentionem. Non audebant metu Romanæ Curiæ, qui de Henrico vera commentari volebant, nomen ſuum addere, ideoque ἀνώνυμος quidem apparet, *Melchior* tamen *Goldaſtus* valde fecit veroſimile, *Otbertum*, ſeu *Obertum* Leodienſem Epiſcopum

eſſe Auctorem: quicquid autem ſit, Auctorem illum fuiſſe non ex plebe aliquem, ne ex minori quidem nobilitate, ſed ex optimatibus & Principibus Imperii, potentem in Cæſaris palatio, familiaremque ipſi, ſatis legentibus manifeſtum eſt. Hunc libellum cum Epiſtolis Imperatoris ad diverſos Reges Principes & Epiſcopos *Helmoldo* Boſovienſi à ſe locupletato adjecit, & Francofurti apud Wechelum a. 1581. excudi fecit *Reinerus Reineccius*, bono publico juvando & Hiſtoriæ illuſtrandæ natus vir. Cum igitur in vaſtis ſuis Eccleſiaſticis Annalibus (ſuo merito multum alioquin æſtimandis) ad Henrici IV. tempora perveniſſet eminentiſſimus Cardinalis *Baronius*, ſine omni fronte, pudore, & verecundia ita ſcribit: *Qui nuper edidit vitam Henrici bujus, auctor idemq; promulgator Bennonis in Gregorium Papam calumniis conferti voluminis egregii mendaciorum contextoris opus, quod ſæpe ſuperius contigit rationibus apertiſſimis refutari, hic, inquam, confartor impoſturarum, commentitias quasdam litteras ad Annonem Colonienſem Archiepiſcopum, de indictione Concilii VVormatienſis poſt Henrici ejusdem vitam appoſuit. De quo alterum de duobus dicendum eſt, vel quod ipſe eos commentus ſit ſtylo mendaci, vel, ſi ipſe non fecit, ſed ut eas invenit antiquitus ſcriptas, edidit bona fide (ſi in malo animo potuit eſſe bona fides) nunc ſummæ oſcitantiæ, obtuſi ingenii redarguendus idem eſt homo, qui adeo manifeſtam falſitatem, ſui planè magnitudine portentoſam non cognovit* Margini autem paragraphi ſequentia adſcripta ſunt verba: *Reinerus damnatus auctor jure perſtringitur, qui hiſtoriam de vita Henrici IV. & de vita Gregorii VII. ex Bennone edidit, cuſam Francofurti*

coſurti Anno Domini. 1581. Volui ipſa Baronii verba, plura licet, adſcribere, quoniam penè ſine omni exemplo innocentiſſimus homo tam atrociter perſtringitur, ut jam oſtendam. Non nunc tamen de veritate hiſtoriæ, in illa vita & Epiſtolis contenta, agam, re jam ſufficienter ab aliis diſputatâ, ſed tantum à *Reineccio* eas non confictas aut primùm publicatas docebo. *Johannes* enim *Cuſpinianus*, Medicus, Maximiliani I. Orator & Urbis Viennenſis præfectus, ubi in Hiſtoria Cæſarum de Henrico IV. agit, circumferri vitam Imp. eleganter perſcriptam ab incerto auctore, ab *Aventino* Reginoburgi in æde D. Hemerani repertam ac publicatam cum Epiſtolis quibuſdam ad Regem Franciæ, Principes, & Epiſcopos ſcribit, easque *legendas ſtudioſis commendat, ut res geſtas cognoſcant.* Editæ ſunt ab Aventino Auguſtæ a. 1518. *Cuſpinianus* vero obiit A. 1529. duodecim annis ante natum *Reineccium.* Poſt *Aventinum*, ſexennio tamen ante natum *Reineccium*, *Ortwinus Gratius* in Academia Colonienſi Profeſſor, in libro, qui inſcribitur *Faſciculus rerum expetendarum & fugiendarum*, hanc etiam Vitam Henrici publicavit, lectorem advertens, *in eâ admiranda quædam lectuq; digna & rara admodum reperiri.* Biennio autem ante, octo ante Reineccium natum annis, *Johannes Herwagius* Typographus Baſileenſis, operâ *Martini Frechti*, cum *Witichindo*, Monacho Corbejenſi, Vitam Henrici & Epiſtolas illas ediderat. Et tamen à *Baronio Reineccius*, tamquam malæ fidei homo traducitur, & *confartor impoſturarum* audit? Vix credibile eſt, *Baronium*, helluonem librorum, qui ſuis βιβλιοθήκη ἔμψυχος καὶ περιπατοῦν μουσεῖον audit, ignoraſſe hujus ſcripti editionem, nec legiſſe, quæ de eo refert Auguſtæ Hiſtoriæ ſcriptor *Cuſpinianus.* Sanè, aut extrema eſt hæc malitia, aut cum turpi oſcitantia conjuncta inſultandi bonis libido. Verùm è diverticulo in viam. Magnus auctoritatis Imperii Germanici aſ-

ſertor *Melchior Goldaſtus* in Apologia pro Henrico IV. contra Gregorium VII. inter alios publicavit *Anonymum* Poetam *de bello Saxonico*, ſupra memorato Brunoni, qui pontificis partes ſequitur, opponendum, cujus omnino utilis lectio eſt, cum rebus geſtis interfuiſſe, & in comitatu Imp. vixiſſe, cum exiſtimatione aliqua & auctoritate, ex ipſo libello manifeſtum ſit. Non poſſum vero non etiam laudare CL. *Georgii Schubarti* Henricum IV. Imperatorem in exemplum turbatæ reip. propoſitum, ubi ſub finem Saxonicum illud bellum ex idoneis ſcriptoribus egregie explicat, & prudenter conſiderat. Quæ ſub Lothario deinde & Svevicis Imperatoribus in Saxonia acta ſunt, non quidem ſeorſim à quoquam expoſita leguntur, *Helmoldus* tamen, ſæpius à nobis memoratus, qui illis circiter temporibus vixit, ejusque continuator *Arnoldus*, Lubecenſis Abbas, ſæpius mihi antea memorati, non pauca nos docent, de iis potiſſimum, quæ ultra Albim ad mare uſque contigerunt: quibus, ut veritas magis pateat, jungi poteſt, *Saxo Grammaticus*, Saxonibus tamen fortaſſis paullo iniquior, qui licet data opera res Danicas deſcribat, ſæpius tamen vicinas Saxonicas illis admiſcet. Quoniam autem illius temporis, ſeculi intellige duodecimi, Hiſtoriæ Saxonicæ maximam partem faciunt Henrici, Leonis dicti, res pace & bello geſtæ, infelixque caſus, & hinc ſecutæ in veteri ampliſſima Saxonia Principatuum mutationes, non tantum *Helmoldus*, *&* *Arnoldus* de eo legendi ſunt, ſed etiam *Gerhardi*, Præpoſiti Stederburgenſis, Ducis ad Cæſarem Legati, *de poſtremis ejus rebus geſtis & exceſſu Hiſtoria*, quam primus è tenebris eruit Avus meus, qui & in diffuſioribus additis notis & etiam alibi, & imprimis in *Hiſtoria Bardevici*, maximi illius & incomparabilis Ducis res geſtas plurimum illuſtravit. Ottonis vero, Henrici Leonis filii, qui ad culmen Imperiale, exemplo Proavi ſui materni

materni Lotharii, per mille quamvis difficultates, pervenit, hiſtoriam', quæ in ſeculi duodecimi finem & decimi tertii initia incidit, non parvis quoque in crementis ab Avo meo aucta eſt. Cum enim non Itali tantum, & Papæ addicti, ſed ex Germanis *Conradus à Lichtenau Abbus Urſpergenſis*, *Johannes Cuſpinianus*, *Sebaſtianus Munſterus*, *Caſparus Peucerus*, *Horatius Turſellinus*, aliique plures, optimum Principem, & juris Imperatorii ſtudioſiſſimum, falſis criminationibus & convitiis onerare & inſectari non fuiſſent veriti, Avus meus longam pro Ottone Apologiam, jam ſenex, conſcripſit, & ex ipſis fontibus rei veritatem, detectis aliorum mendaciis, expoſuit, quæ magno intelligentium applauſu excepta fuit. V. CL. *Bœclerus* notis in *Æneæ Sylvii* Frid. III. p. 138. Apologiam Meibomianam non tam de Imperii ſtatu exhibendo, quâm de Imperatore Saxone purgando laborare ſcribit, cum tamen Ottonis non tam privata, quam publica, eaque maximi momenti acta recenſeat & defendat Avus meus, quæ Imperii ſtatus magna pars ſunt. Non tamen plenam voluit ejus hiſtoriam dare Avus, nec quæ in Apologia narrantur, ad Saxoniam omnia pertinent, ideoque ad alia pergo. Poſt Ottonem IV. in Chronico ſuo, quod in Anno MCCLVI. finivit, *Albertus*, Monachus Benedictinus & Abbas Stadenſis cænobii, res Saxonicas quoque memoravit, dignus, qui legatur, quoniam, quamvis in aliis *Witichindum*, *Adamum Bremenſem*, *Helmoldum*, *Urſpergenſem*, aliosque, ne mutatis quidem verbis, deſcribat, interdum quoque ad nugas & fabulas delabatur, multa tamen egregia, & propria, & aliis indicta, in Principum Saxoniæ Genealogiis habet. Multa illi debet *Crantzius*, multaque ex illo, in Metropolin præſertim ſuam, tranſcripſit, quod dudum obſervavit *Matthias Flacius* Illyricus, in tractatu de translatione ImperiiRomani adGermanos,

nos, quamvis nomen Alberti non addat. Ignotus tamen reliquis omnibus erat, donec eum ex Bibliotheca Ranzoviana publico bono ederet An. 87. ſuperioris ſeculi *Reinerus Reineccius*, adſperſis alicubi eruditis notis: quas quidem *cautiſſimè legendas ob juſtam ſuſpicionem Autoris* monet in *ſupplemento de Scriptoribus Eccleſiaſticis* nuperus induſtrius ſcriptor *Caſimirus Oudinus*, ſcilicet, quia Gregorii VII. artes alicubi detegit & perſtringit; fortasſis tamen ſine cauſa, nam ego tanto diligentius eas legendas propterea moneo, quia *Albertus* Henrico IV. Ottoni IV. & Friderico II. Impp. alicubi videtur iniquior: continent verò *Reineccii* notulæ, præfationes, & additamenta, multa etiam alia, ut ſolent, Saxonicæ Hiſtoriæ illuſtrationi ſervientia. Et habemus nos in Bibliotheca Academiæ Juliæ MStum *Albertini Chronici* exemplar, cum ſupplemento, & forte eundem codicem, cujus meminiſſe dixi *Flacium*, cum illius præſtans Bibliotheca aliqua ſui parte in noſtram conceſſerit. Pertinet vero huc, & multam lucem rebus Saxonicis ab Anno MCXXIV. ad MCCXXV. affundit *Anonymi Chronicon Montis-Sereni ſeu Lauterbergenſe*, cœnobii B. Petri *in Epiſcopatu Magdeburgenſi*, quod, quamvis ſæpius à CLL. Hiſtoricis Saxonicis *Joh. Albino* & *Georgio Fabricio*, adduceretur, intra illorum tamen manus deliteſcebat. Factum autem eſt, ut ad magnum JCtum & Hiſtoricum *Marquardum Freherum* perveniret exemplar, qui Avo meo, Amico ſuo intimo, id Anno 1600. transmiſit, eique, ut cum Saxonicis ſuis ſcriptoribus ederet commendavit, qui etiam ſua manu ex MSto, mox remiſſo, deſcripſit & ad editionem paravit. Periit autem illo mortuo, cum aliis MStis, in fatalibus illis belli turbis, ſed ita feliciter periit, ut in manus Magnifici & Hiſtoriæ Patriæ amantiſſimi Viri, JOHANNIS SCHWARTZKOPFII, Ducis Brunſv. & Lyneb. Cancellarii meritisſimi, incideret, qui ſuo ære redemtum

demtum à militibus, & diligenter aliquamdiu aſſervatum, tandem Cl. Viro *Joh. Joach. Madero* dedit, qui, poſt tam varia fata, egregium rerum Saxonicarum annotatorem, typis Academiæ noſtræ ante XI. annos reviviſcere fecit, additis non paucis aliis, itidem ad Saxoniæ hiſtoriam facientibus. Seculo XIV. *Henricus de Hervordia*, ordinis Prædicatorum monachus, *de Temporibus & Rebus Memorabilibus* Librum ſcripſit in Ætates diſtinctum, ab orbe condito ad ſua usque tempora, id eſt ſeculi XIV. medium, qui in poſteriorum ſeculorum & ſui ævi hiſtoria multa de rebus Saxonicis egregia & alibi non obvia, veteris imprimis Saxoniæ, narrat. *Tritbemius* male nominat *Erfordienſem*, quem ſequitur *Voſſius*, cum fuerit ex *Hervordia* in Weſtfalia, Mònachus Dominicamus ædis San-Paulinæ in urbe Mindenſi. *Hermannus de Leerbeke* in Chron. Schaumburg. vocat eum magnum & doctisſimum virum. In *Chronico Mindenſi* memoratur, eum poſt labores, quos in ſtudendo dictandoque deſudaverat An. 1370. obiiſſe ſepultum ante oſtium chori ambitum verſus, de voluntate autem ac mandato Caroli IV. exhumatum & ante altare majus denuo ſepultum, unde facile conjicere licet, magni nominis & exiſtimationis virum fuiſſe. Rerum certe Saxonicarum diligentiſſimus eſt ſcriptor, & ab omnibus poſt eum chronicariis deſcribitur, non tamen hactenus lucem vidit, ſed in quarundam Bibliothecis, & mea quoque, aſſervatur MStus. Seculo XV. *Hermannus Kornerus* Lubecenſis, itidem Dominicanus Monachus, Hiſtoriam ad An. 1435. ſcripſit, qui, quamvis in rebus Saxonicis Slaviciſque *Helmoldum* & *Arnoldum*, ne mutatis quidem verbis, deſcribat, parte ſecunda quoque fateatur, ſe uſum *Henrico de Hervordia*, tamen non pauca in eo ſingularia, ubi ad ſua tempora pervenit, invenias. Non eſt autem hactenus editum opus, ſed alterum Lubecæ, alterum Lyneburgi, duobus integris tomis, nitidè ſcriptum aſ-

ſervatur, quo utroque uſus ſum. Uti vero ex *Kornero*, ea potiſſimum haurire licet, quæ in inferiore Saxonia & Transalbiana contigerunt, ita ſeculi hujus initio vir præſtans *Gobelinus* Perſona in Coſmodromio pluribus nobis expoſuit res in veteri Saxonia, id eſt, in Weſtfalia geſtas, quem cum alii excerpſiſſent, ſuisque Chronicis inſeruiſſent, ut in *Chronico Magno Belgico Monachi Nuſſienſis à Piſtorio* edito videre licet, *Crantzius* vero, non nominatum ſæpius in Metropoli ſua deſcripſiſſet, Avus meus dignum judicavit, quem ex MSto primum ederet, ubi de Autore non pauca præfatus eſt, egoque in noviſſima editione alia addidi. Citat *Gobelinum* etiam *M. Theodoricus Engelbuſius* Saxo, qui Chronicon ab orbe condito An. C. cIɔcccccxx. circiter ſcripſit, in quo prima quidem vulgaria & nullius momenti, non paucæ etiam nugæ; in ultimis tamen reperias non pauca, quæ Saxoniam illuſtrent. Multis citatum publicavit tandem *Cl. Maderus*. Excerpſit ſcilicet ſua ex ſcriptoribus, quorum aliqua pars hodie non amplius extat, licet ab ipſo citentur. Quorum tamen teſtimonio frequenter utitur, *Henrici Roslæ* Nienburgenſis, & *Theodori Longi* Eimbecenſis, eorum poëmatia edidit ante 34. annos parens meus *Joh. Henricus Meibomius*. *Roslæ* Poëmation, non ineleganter ſcriptum, ut in iſto ævo, agit de bello inter Henricum Mirabilem, Ducem Brunſvic. & Lynæb. ac confœderatos Saxoniæ Principes An. cIɔccLxxxvII. ob arcem Herlingsbergam geſto, & non pauca, alias incognita nos docet, ut in notis oſtendit Parens meus. *Theodori Longi*, ſeu *Tiderici Langen* Canonici Eimbeccenſis & Goslarienſis poëma, ſub titulo *Saxoniæ* adjecit *Roslæ* Parens meus, ex *Engelbuſio* autem titulum fuiſſe, *Poëſis Ducum Brunſvicenſium*, diſco. Dictio ſordida eſt, verſus interdum ridiculi; quæ tamen narrat, de ſui ævi Urbibus, Comitibus, Nobilibus in Saxonia, annotari merentur. Edi-

Editum quoque eſt à *Piſtorio* tom. I. p. 705. *Chronicon*, Excerptum ex diverſis Chronicis, usque ad A. 1474. in quo primo quidem ea narrantur, quæ nullibi non obvia melius etiam & rectius ab aliis traduntur, ſub finem autem multa de rebus Saxoniæ Inferioris & Brunſvicenſibus. Auctor quis ſit, non additur: ex iis tamen, quæ ad A. 1468. & 1473. narrat, monachum eum fuiſſe in monaſterio S. Ægidii in urbe Brunſviga colligo. Sed pene prætermiſeram hoc in loco memorare Scriptores illos, quos conjunctim anno ſeculi hujus vigeſimo edidit Avus meus ex MStis, *Hermanni de Leerbeke Chronicon Schaumburgenſium Comitum*, *Anonymi Chronicon Mindenſe*, *Juſtini Lippiſlorium*, ex quibus non tantum Scaumburgenſia, Holſatica, Mindenſia, & Lippienſia illuſtrantur, ſed univerſæ Saxoniæ hiſtoria, illius ævi, lucem inſignem capit. Cum autem hæc & alia Avi mei opera hiſtorica, ſive aliena, & ab ipſo primum publicata, ſive propria in magno apud intelligentes eſſent pretio, & exemplaria diſtracta nullibi amplius comparerent, cæpi nuper conſilium, non de iis tantum omnibus, & quidem auctioribus, uno tomo recudendis, ſed etiam pluribus aliis, ex MStis erutis & ad Germaniæ Saxoniæque Hiſtoriam illuſtrandam mea opera elucubratis, duobus aliis Tomis, adjiciendis, qui jam ultra umbilicum perducti, ſi Deus faverit, intra menſes non ita multos publicam lucem aſpicient. Sunt penes me alia multa Chronica Urbium & Monaſteriorum Saxoniæ noſtræ, non ita quidem contexta, ut publico exponi mereantur, ex quibus tamen, non ſecus, atque olim ille ex ſtercore Ennii, gemmulam ad Saxoniæ illuſtrationem eruas.

Sed jam pervenimus ad illa tempora, quibus ſub finem ſcilicet XV. & intium ſeculi XVI. cum alibi in Germania, tum in Saxonia quoque, bonæ litteræ renaſci, hiſtoriæ quoque juſtum pretium

perunt, &, favente Typographiæ uſu, publicari. Tardius tamen in Saxonia res proceſſit, primumq; , quod editum ſciam, *Chronicom Saxonicum*, rude & jejunum, laudari non meretur. Conſcriptum id eſt vernacula lingua Saxonica, & ſub tit: *Chronekender Saſſen* Moguntiæ a. 1492. publicatum eſt, additis figuris, unde *vulgaris & picturatæ Saxonum Hiſtoriæ* nomine citatur à *Paullo Langio in Chronico Citicenſi* in principio. Auctor incertus Brunſvigæ videtur conſcripſiſſe, vertit autem illud ſuperioris Saxoniæ ſtylo M. *Joh. Pomarius*, Paſtor Magdeburgenſis, & integri pene ſeculi hiſtoriam adjecit, magna idcirco laude à *D. Sigfrido Sacco* in præfatione affectus, quamvis ne mediocrē quidē mereatur, eſtq; ſeptimo anno poſt à *Matthæo Dreſſero*, Profeſſore Lipſienſi iterum reviſum & publicatum. Unus magno animo, plurimis undiq; conquiſitis ſubſidiis, Saxoniæ omnis, imo & vicinorum regnorum Septentrionalium Hiſtoriam ſacram & civilem ſcribere aggreſſus eſt, quem ſupra laudavi, *Albertus Crantzius*, magni & excellentis ingenii, judicii accurati, ac memoriæ tenaciſſimæ, qui eo etiam nomine laudandus, quod unam Chriſti fidem in multas familias & factiones diſtractam, Eccleſiam corruptelis & ſuperſtitionibus imbutam, totumque Imperium Germanicum turbulenta ſeditionum ac diſcordiarum tempeſtate jactatum ſerio doluerit, & veraci liberoque calamo omnia deſcripſerit. Notum quidem mihi, quàm vapularit aliis, *Suffrido Petro* Friſio imprimis, & quàm graviter tanquam partium ſtudio agitatum publicè traduxerit, fidemque ejus dubiam reddiderit *Petrus Albinus* Progymn. Hiſtoriæ Saxonicæ, p. 96. 97. Neſcio tamen, an ex propoſito falſa ſcripſiſſe convinci poſſit. Id ſcio, non illum in omnibus ſequendum eſſe, ſed imprimis, quæ vetuſtiora ſunt, ex aliis ſcriptoribus examinanda; id quod quidem nunc tanto facilius fieri poteſt, poſtquam non eos tantum Scriptores, quibus *Crantzius* uſus

eſt,

eſt, quosque interdum ne verbis quidem mutatis deſcripſit, ſed & plures alios, ipſi non lectos, habemus. Multus in eo laudando eſt *Janus Douſa* Annal. Hollandiæ l. 1. p. 71. eo maximè nomine, quod primus recentiorum ex *Witichindi*, *Helmoldi* & ſimilium Scriptorum ſententia Normannos à Danis, à Sveonibus Gothos, ab Hunnis Vandalos, Oſtrogothos rurſum à Viſigothis, ſummo judicio ac delectu, ratione temporum obſervata, ſubtiliſſimè diſtinxerit, cum Galliæ Britanniæque Chronologi omnes eas nationes communi Normannorum appellatione confuſe atque promiſcuè indigitaſſent. Ad noſtrum vero inſtitutum imprimis facit ejus Saxoniæ civilis hiſtoria peculiaribus libris, & ſacra in Metropoli plenè & accuratè propoſita. Obiit Hamburgi 7. Decembris. A. 1517. *morum & virtutum ſpecimen & exemplar, patriæ decus*, ut eſt in ejus Epitaphio, quod in ſummi templi cæmeterio ibidem exſtat. Iisdem temporib⁹ vixit Legum & Canonum Doctor, & in eadem Academia Roſtochienſi Profeſſor, Duci Meclenburgico à conſiliis, *Nicolaus Mareſcalcus* Thurius, ſcripſitq; Annalium Herulorum ac Vandalorum libros VII. in quorum præfatione ſe eorum, quæ tradat, partim *oculatum teſtem* eſſe, partim ex *Sanctariis Regũ excerpſiſſe* monet. Vir eſt doctus, merenturque Annales illi legi, *Crantzianis* tamen non comparandi: uti etiam ad noſtrum inſtitutum minus faciunt. In ſuperiori Germania hoc tempore XII. voluminibus *Franciſcus Irenicus*, Germaniæ Exegeſim edidit, ſed quæ de rebus Saxonicis habet, non ſunt magni momenti, ſequiturque & allegat frequenter *Hermannum Scriptorem Saxonum*, & diſtinguit ab Hermanno Chronographo, quem *Hermannum Cornerum* eſſe,

hiſtorica laude celeberrimus, & *Georgius Fabricius*. *Spalatinum* quidem nollem in eo libello Germanico, quem pro gloriâ Domus Saxonicæ contra Henricum Juniorem Brunſvicenſem ſcripſit, incomparabilem Imperatorem Lotharium, & meliora meritum, indigne tractaſſe, contra veri fidem, & doctioris ævi conſcientiam: ſed forte non magni adeo momenti libellus, compoſitis inter maximas Domos litigiis, tenebris damnatus eſſet, niſi æternis ſuis monumentis eum inſeruiſſet *Hortlederus*. *Georgii Fabricii*, multæ eruditionis viri, laudanda etiam eſt in Saxoniæ hiſtoria inſignis induſtria, quanquam ita laudanda, ut erroribus ejus non patrocinemur. Jam tum vero à *P. Albino* in nova Saxonum hiſtoria annotatum eſt, *Fabricium* omnia ferè ex Teutonica *Agricolæ* hiſtoria vertiſſe, pauca de ſuo addidiſſe. At ipſius *P. Albini* omnia, quæ conſcripſit, in publico extare vellem: fuit enim vir erudititiſſimus, & qui non minore judicio quam diligentia, rara admodum mixtura, hiſtoriam tractavit. Seculo autem illo decimo ſexto, de quo nunc agimus, Bellum Hildeſienſe magna totius Saxoniæ commotione geſtum, deſcripſit *Juſtinus Goblerus* JCtus, & in vita Erici Ducis, & in brevicula Commentatione de ipſo bello, qui meretur omnino legi, utpote veritatis ſtudioſus, quamvis in omnibus circumſtantiis fortaſſis non ſatisfaciat: cum quo conjungenda ſunt, quæ communicata à Wilhelmo Duce Brunſv. & Lynæb. hiſtoriæ ſuæ Saxonicæ partem eſſe voluit *Dav. Chytræus*. Quæ autem deinde pro recuperatione bonorum Eccleſiæ facta ſunt, ex publicè editis, à Ducum imprimis parte, Actis diſcere eſt. Quæ deinde in Saxonia, religionis negotio graviter turbata, inter Principes Smalcaldici fæderis & Henricum Juniorem Ducem Brunſvicenſem contigerunt, partim à *Sleidano*, partim à *Chytræo* narrata ſunt, petenda tamen imprimis ex libellis tum temporis editis & Actis publicis. Succincta de illius contra Henri-

cum

cum Smalcaldici belli a. 1542. ſuſcepti cauſis & eventu commemoratio, à Fæderatis edita, extat Tomo II. Operum *Schardii*, plura vero apud *Hortlederum* in præſtantiſſimo de Belli Germanici cauſis opere legere licet. Belli deinde Magdeburgenſis, ſeu obſidionis, quam à Cæſareanis paſſa eſt a. 1550. & ſequenti, hiſtoria ad Saxoniam quoque imprimis pertinet, magna tam dubii eventus exſpectatione, interveniente quaſi ex machina Deo, & conſilia mutante. Scripſit eam Germanico idiomate civis illius urbis *Sebaſtianus Beſſelmejerus*, quæ tamen, ut Latinè verteretur, digna judicata eſt. Quæ præterea in Saxonia, etiam latiſſimè accepta, integro ſeculo ſexto decimo contigerunt maximè memorabilia, illa egregie expoſuit, jam ante nobis laudatus, Theologus & Poly hiſtor clariſſimus, *David Chytræus* in Saxonia ſua. Nolim quidem eum ab erroribus præſtare immunem. Quî enim potuerit Vir unus, iſque à magnatibus non adeo multum adjutus, tot terrarum, in quibus Saxonicus ſermo viget, hiſtoriam, & quidem integri ſeculi, accuratiſſime, ut non alicubi impingeret, tradere? Nec ſuccenſeri poſſum inſigni Hiſtorico *Everardo Reidano*, qui, præfatione in ſuos Annales Belgarum, *Chytræum* inter eos Belgicæ Hiſtoriæ ſcriptores refert, qui falſos rumores, incerta famæ & quomodocumque accepta ſecuti, falſa pro veris tradiderint. *Thuanus* nec laudat, nec vituperat *Chytræum*, emortualem tamen ejus annum ideo memorat, quia *multorum virorum, quantum in ipſo fuit, memoriam ſervavit*: at, quod ubique in rebus Saxonicis & Arctois ſecutus ſit *Chytræum Thuanus*, legentibus patet, nec diffitetur, in

rudi deſignatione, haberi velit, non *hiſtoria*, exemplo veterum aut quorundam recentium ſcripta.. Poſt *Chytræum*, illi coævus, locum meretur, ſæpius etiam merito ſuo nobis laudatus, *Reinerus Reineccius*, quamvis non tam ſeculi ſui Saxoniæ hiſtoriam, quam ſuperiorum ſeculorum & à primis initiis illuſtrare conatus fuerit. Tantum illi, vel propter Scriptores è ſitu erutos & emendatos, debet Germania & Saxonia, in quantum æſtimari eruditio liberalis & notitia temporum poteſt. Ingenium in eo excellens, judicium exquiſitum, labor indefeſſus: quid non exſpectes, ubi tria illa conjunguntur in uno? Equidem, cum non pauci eruditi viri in eo ſibi placerent, ut recentiores gentes à priſcis, à Phrygibus Friſios, à Myſiis Miſnenſes, Cimbros à Cimmeriis, Cauchos à Chauchonibus, Saxones à Sacis aut Axinis, ſolùm ob nominis aliquam convenientiam (æquè ridicule, ac maximus Philologus ex Victophalis, quos *Eutropius* Breviar. hiſt. Rom. ſuo tempore trans Danubium habitaſſe ſcribit, Weſtfalos exſculpit) deducerent, illo quoque errore abripi ſe paſſus eſt *Reineccius*, uti non tantum ex *libello* ejus *de Origine Myſorum*, ſed paſſim ex ampla ejus *Hiſtoria Julia* patet. Quando igitur Illuſtris Vir, antea memoratus, *Joh. Philippus Voorburgius* T.I. vaſti ſui operis, *minus ſedulum & fabulis deditum hiſtoriographum* vocat, eò reſpexiſſe crediderim: aliàs ſanè longè meliores titulos meretur, vivensque, & ab ingenua poſteritate mortuus, nactus eſt, cum de doctrina, ſedulitate, & amore veritatis teſtentur ejus ſcripta plurima; quin ipſa Voorburgiana Hiſtoria, ſine Scriptorum, quos *Reineccius* primus edidit, ſubſidio, manca eſſet & mutila. *Reineccio* comitem hic adjungerem & laudarem *Henricum Meibomium*, niſi avus mihi eſſet. Quæ tamen in Saxonica hiſtoria præſtitit, ſi induſtriæ aliquam laudem mereri dixero, fortaſſis à nemine accuſari potero. Invenerunt ejus ſcripta amatores plurimos, quod

toties

toties diſtracta,totiesque recuſa teſtantur exemplaria: contemptores, præter ignorantes & veritatis oſores, neſcio an invenerit? Multi certè ejus opera, fracta ab eo primum in maxime lubricis glacie, adjuti ſint, ſive id candidè fateantur, ſive callidè diſſimulent. *Job. Letznerus* diligentiſſimus vir, multis & magnis Commentariis de Hiſtoria Ducatus Brunſvicenſis non malè meritus, & plura, ſi vixiſſet, elaboraturus, memorari etiam hîc à me omnino debet; magis tamen eum laudare poſſem, ſi diligentiæ ejus par judicium reſpondiſſet,& iis, quæ ſollicite undique conquiſiverat, recte uti, & falſa à veris, ſpuria à genuinis ſecernere ſciviſſet. Interim, qui judicio valet, ejus opera cum fructu legere & in rem ſuam convertere poteſt. At majorem laudem meretur, qui illo tempore in hac vicinia, Halberſtadii, vixit *Gvilhelmus Budæus*, Græcè & Latine doctiſſimus Vir, *Neandri* diſcipulus, qui præter artem Medicam Patriæ Hiſtoriæ curas ſuas impendit, eo cum fructu; ut maximi æſtimentur, quæ de *Monaſteriis Epiſcopatus Halberſtadenſis*, deque *vita Alberti Epiſcopi* conſignavit. Utinam vero præſtantiſſimo viro opuſcula, quæ affecta habuit, quorumque primas paginas promulſidis loco publicavit, per otium & vitam pertexere licuiſſet! Magnam in eo jacturam fecit Hiſtoria patria: majorem vero etiam, quod, quæcunque maximo labore ex ineditis monumentis & Archivis, non alibi extantia, congeſſerat, belli tempore Lipſiam miſſa, in neſcio quas manus devenerint. Vivunt verò hodieque,& cùm ſuperioris Saxoniæ, Thuringiæque, tùm etiam noſtræ Inferioris Saxoniæ res curioſo calamo illuſtrant, alter in Illuſtri Electorali Saxonica Aca-

omnibus tamen Saxonicæ Hiſtoriæ ſtudioſis non poſſum non ea commendare. Sed, ut de hujus quoque ſeculi, quod vivimus, hiſtoria aliquid addam, initia quidem ejus Brunſvicenſis Urbis intra decennium bis factæ obſidiones occuparunt, quæ publicis ſcriptis & ſereniſſimo quoque calamo expoſitæ legi poſſunt. Fatale deinde toti Germaniæ bellum, in Bohemia ortum, brevi tempore in Inferiorem Saxoniam totum quaſi translatum eſt, & Ducatus Brunſvicenſem & Lynæburgenſem, Archiepiſcopatum Magdeburgenſem, Ducatusque Meclenburgicos graviſſime afflixit. Quamvis autem illi bello deſcribendo clariſſimi Viri, *Loticbius*, *Caraffa*, *Chemnitius*, *Bracbelius*, *Loccenius*, & nuper elegantisſime *Puffendorfius*, manus admoverint, tamen, aut de Saxonicis rebus pauca narrant, aut, dum ab adventu Regis Guſtavi ſuas hiſtorias auſpicantur, exponere diſtincte negligunt, quomodo huc pertractum ſit bellum, quave occaſione, tandemque ad ipſum usque Balthicum mare devenerit: quæ quidem ex Actis publicis, Conventibus Circuli Saxonici, & Fœdere Lauenburgico ſupplenda ſunt. Reliqua, quæ deinde in belli progreſſu in Saxonia acta ſunt, plenius à modo dictis celeberrimis Viris explicata ſunt. Mutationes vero, quæ deinde, pace impetrata, circa territoria Principum in Saxonia facta ſunt, ex ipſis Pacis publicæ tabulis diſcere licet, quibus ut addatur *Hiſtoria Pacis Weſtfalicæ*, ab eruditisſimo Viro Scripta, operæ pretium eſt.

Cum autem Civilis Hiſtoria non recte intelligi posſit, ratione ſuccesſionis imprimis in Principatibus, Comitatibusque, niſi Genealogiæ illuſtrium recte exponantur, de iis adhuc aliquid dicendum eſt, cum in Saxoniæ quoque hiſtoria præclarisſimi viri illarum ad ſe curam pertinere judicaverint. Quamvis autem illi, qui in genere omnium Principum & Illuſtrium Genealogias adornarunt, Saxonicas

nicas

nicas non negligant, tamen de iis nunc tantum dicam, qui Saxonicas ſeorſim expoſuerunt. Ubi in Principio illud monendum eſt, ſuperſtitum quidem familiarum & adhuc florentium Genealogias majorem habere uſum, inſignem tamen etiam emortuarum, cum, quomodo in Dominiis hæc illi ſucceſſerit, ſciri debeat, nec plena hiſtoria citra illam cognitionem haberi poſſit. Egerunt id diligenter *Brotruffius*, *Hoppenrodius*, *Albinus*, *Spangenbergius* in libris de nobilitate, & Laur. *Peccenſtein in Theatro Saxonico.* Extat *Hermanni Hamelmanni* liber de vetuſtis titulis & nominibus Principum, Comitum, Heroum atque illuſtrium familiarum, quæ olim in Inferiore Saxonia, Angraria, & Weſtfalia extiterunt, quarum Dominia aut in totum aut ex parte translata ſunt, ad Epiſcopos, & Principes, qui plurimum à me augeri poſſet, ſi otio abundarem. Antiquæ autem illius Saxoniæ, ſeu Weſtfaliæ, nobiles familias, tam emortuas, quàm ſuperſtites, ex Chronicis & Tabulis magna diligentia collegit, ipſe antiquo & nobili genère ortus *Johannes à Berſworde in Huſten*, qui liber, MStus hactenus, dignus eſt, qui à pluribus legatur. *Reineccius* vero & *Chytræus*, & *Avus meus* nunquam etiam in ſcriptis ſuis intermittunt genealogias illuſtrium familiarum, ſive adhuc florentium, ſive emortuarum contexere, & ad majorem hiſtoriæ claritatem inſerere. Facit vero plurimum quoque ad integrum hiſtoriæ contextum, & translatorum ab uno ad alium dominiorum, certitudinem, *Inſignium* notitia, ideoque etiam Heraldici Scriptores evolvendi ſunt. Et vero, qui nuperrime *Hiſtoriam Inſignium Illuſtrium* edidit Vir muneris dignitate, pietate & doctrina maximè con-

Joh. Henrici Hofmanni , qui magnum opus juſſu Sereniſſimi Domini ſui ſub titulo Ehrenkleinodt conſcripſit, in quo maximam ſuam Hiſtoriæ Saxonicæ & Brunſvicenſis imprimis peritiam oſtendit , quam etiam aliis operibus ſuis *Rerum Hildeſienſium libris XV. Rerum Hojenſium libris III. Monaſteriologia* , aliisque , omnibus , qui ea viderunt & legerunt , approbavit , quamvis ultiman manum iis imponere non potuerit , Vir longiore vita digniſſimus, Archivorum , quibus præerat , peritiſſimus , & penè ſine exemplo, ſcrutator. In cujus mihi amiciſſimi Viri memoria hanc in Hiſtoriam Saxonicam Introductionem, ſeu προπαιδείαν finio.

Corrigenda.

p.19.l.23. pro *de Probo* ſcribe *acclamatum Probo.*
p.59.l.13. pro *Dalemincei à Dalemincçiis* ſcribe *Dalemincï à Daleminciis.*

W